IVLII CAROLI SCHLAEGERI

PHILOL. GR. ET ORIENT. IN ACAD. IVL. P. P. O.

COMMENTATIO DE DIIS HOMINIBVSQVE SERVATORIBVS EX NVMIS ATQVE MARMORIBVS VETVSTIS AD VARIA EPISTOLARVM PAVLINARVM LOCA

Georg. Sigism. Greenii Progr. de Diis medicis. Misn. 1740.

Res ar
torem,
biis fid
abunde

HELMAESTADII

EX OFFICINA PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

CIↃ IↃ CC XXXVII.

§. I.

CVm delectat ſtudium, quod in numorum lapidumque veterum explicationem impenditur, & incredibili quadam jucunditate oculos juxta atque animos perfundit; tum utilitates praebet mirabiles non humanitatis modo cultoribus, ſed iis etiam, qui, ad diſciplinas altiores, quas vocant, docendas evocati, artem ſalutarem profitentur, aut in legibus interpretandis verſantur, aut divina dogmata tradunt hominibus; quippe quorum nemo eſt, quin ex abundanti ſupellectilis antiquariae theſauro multa egregia poſſit depromere, atque ad artes ipſorum nunc exornandas illuſtrandasque, nunc vero firmandas, apprime facientia. Ad numos quod attinet, nemo, crediderim, hoc tempore reperitur amplius, qui eorum dignitatem atque uſum ſugillare voluerit. Turpiſſimum profecto foret, in iis addubitare, quae Illuſtr. EZ. SPANHEMIVS (a) copioſe non minus, quam ſolide, pertractavit, & viri, omnium judicio litteratiſſimi, complures, FROELI-

(a) In cedro longe digniſſimo *de praeſtantia & uſu numiſmatum antiquorum* opere, quod poſt primam Romanam & iteratam Amſtelodamenſem editionem, inſignibus acceſſionibus locupletatum, partim in Anglia, partim in Belgio, 1706 & 1717, duobus majori forma voluminibus recuſum proſtat.

CHII (b), MAIORES (c), RVHII (d), ADDISONII (e), POVPARTII (f), OLIVAE (g), MEIBOMII (h), SPONII (i), CVPERI

(b) Ante hos annos quatuor Viennae Auſtriae, forma, quam vulgus octavam vocat, lucem adſpexit inſignis utilitatis libellus, inſcriptus: *Vtilitas rei numariae veteris, compendio propoſita; cum appendicula ad numos Coloniarum, per* Cl. Vaillantium *editos;* quem viro, ex doctrina clariſſimo, ERASMO FROELICH e Soc. Ieſ. deberi novimus, licet in titulo nomen R. P. LVDOV. DEBIEL S. I. nunquam niſi honoris cauſſa a nobis appellandi, typorum errore ſit expreſſum. Conf. *Niederſaechſiſche Nachrichten von gelehrten Sachen* An. 1734. p. 609. ſq.

(c) IO. DAN. MAIOR, Medicinae quondam profeſſor Kilonienſis, genuinam linguae Graecae pronunciationem & orthographiam numorum ope vindicavit in *Epiſtola de numis Graece inſcriptis; qua praecipue parodoxon* Jul. Caeſ. Scaligeri, Iſaac. Voſſii & Henr. Chriſt. Henninii, *linguam Graecam non eſſe ſecundum accentus pronunciandam, orbi litterato ulterius conſiderandum committitur.* Subjungitur *appendix de Jotorum ſubſcriptione ſuſpecta, eorumque praeſertim ex numis veterum, Graece inſcriptis, irrefragabili perpetuoque exilio,* Kiliae 1685. 4.

(d) Quantum juvare poſſint numiſmata grammatices Latinae ſtudioſum, demonſtrat CHRIST. FRID. RVHE in biga *Speciminum Philologiae Numiſmatico-Latinae*, Francof. 1708. 4. edita.

(e) Inter eos, qui poſt Spanhemianos labores de uſu numiſmatum antiquorum ſunt commentati, haud poſtremum commeruit locum Anglus, ingenii laude etiam poſt fata ubique gentium florentiſſimus, IO. ADDISONIVS. Duo ejus ad illud argumentum ſpectantes libelli eruditorum manibus teruntur. Alterius titulus eſt: *Remarcks of ſeveral parts of Italy &c.* Lond. 1705. 8. atque in eo eſt occupatus, ut praeter antiquitatis capita alia, cumprimis Italiae veteris tabulae geographicae illuſtrentur, corrigantur. Alter inſcribitur: *Dialogues upon the uſefulneſs of ancient medalls, eſpecially in relation to the Latin and Greck Poets;* occupatque maximam partem Tomi III. *operum* ejus *miſcellaneorum*, quae poſt mortem auctoris, curante TICKELLIO, prodierunt Londini 1726. 8.

(f) SPIRIDIONIS POVPARTII induſtriae acceptum referimus libellum, inſcriptum: *Reflexions ſur la Science des médailles*, Pariſ. 1705. 12. in quo oſtenditur, priſci aevi hiſtoriam majori voluptate certitudineque ex numis poſſe percipi, quam ex hiſtoricorum ſcriptis.

(g) De *veterum numorum cognitione* *cum*

PERI (k), HEINECCII (l), LOESCHERI (m), GRAINVILLII (n), aliique ſole, quum ſudum eſt, clarius evicerunt. Quae de numiſmatum praeſtantia dicta, optimo etiam jure de lapidibus antiquis praedicantur. Quamquam enim non defuerunt patrum noſtrorum memoria, neque deſunt hoc noſtro aevo, qui, Spanhemio adſtipulati, inſcriptiones minorem, quam numiſmata, fructum doctrinarum ſtudioſis afferre contenderunt (o): iidem tamen marmoris vetuſti uſum in univerſum nequaquam inficiantur. Quid, quod ejus utilitates adeo eximias poſt MARQVARD. GVDIVM judicavit rerum antiquarum ſcrutator, noſtra aetate ſagaciſſimus, SCIP. MAFFEIVS, ut graviſſimas rationes habere ſibi videretur, cur Spanhemio refragaretur diſerteque doceret, inſcriptiones antiquas, ſi uſum ſpectes, numiſmatibus lon-

cum hiſtoria jungenda orationem IO. OLIVAE, Rhodigini, editam Venetiis 1717. 8. inter *Clariſſimorum virorum orationes ſelectiores* recudi curavit Celeb. IO. ERHARD. KAPPIVS p. 554 ſqq.

(h) HENR. MEIBOMII progr. de *veterum nummorum in illuſtranda Impp. Rom. hiſtoria uſu* in hac ipſa, ubi vivimus, Academia 1684. publice eſt propoſitum.

(i) IAC. SPONII, qui huc pertinet, labor exſtat in ejus *Recherches curieuſes d'antiquité* p. 353 exponitque de *numorum uſu in Phyſiognomiae ſtudio.*

(k) Eruditiſſimus GISB. CVPERVS *utilitatem, quam ex numiſmatibus capere poſſunt principes* demonſtrare inſtituit peculiari ſchediaſmate, quod legitur ad calcem *Apotheoſeos Homeri* p. 305. ſqq.

(l) Quod nemo adhuc fuerat conatus, ut *numorum in jurisprudentia uſus* evinceretur, illud erudite eleganterque effecit IO. GOTTL. HEINECCIVS, JCtus elegantiſſime doctus, in praefatione, *diſſertationum Gundlingianarum collectioni,* quae ſuperiori anno prodiit, praemiſſa.

(m) Laudandus h. l. eſt Rev. VAL. ERN. LOESCHERVS ob libellorum Academicorum trigam, 1694. & 1695. Jenae Wittebergaeque editam, qua *de numorum veterum in Theologia, S. S. explicatione & Hiſt. Eccleſ. uſu* differuit.

(n) R. P. GRAINVILLII S. I. *lettre ſur l'uſage qu'on peut faire des médailles par raport à la religion* vide ſis in *Memoriis Trivultianis* An. 1715. p. 1411. ſqq.

(o) Conf. IO CAROLI ALBHARDTI diſſ. de *quaeſtione, majorne ſit inſcriptionum veterum uſus, an numorum in re litteraria,* Witteb. 1696.

(p) Pro-

longe eſſe praeſtantiores (p). Vt verum fatear, in hoc usque tempus nondum mihi licuit cognoſcere & ad veritatem revocare argumenta, quibus Maffejus militat. Si vero eadem ſunt ejusdemque farinae, quibus Gudium olim novimus uſum: utique eſt, quod verear, ne cuiquam cumulate ſatisfaciant; ſicuti nec Spanhemianam opinionem veri ſtudio ardentes ex omni parte approbaturos, exiſtimo. Ego certe, rebus undique pertentatis, eos conſultius facere didici, qui, media incedentes via, tam numos, quam lapides, rei litteratorum publicae frugiferos ſtatuunt; fructuoſiores autem fore pronuntiant, ubi numiſmaticam viri docti epigrammatographiae ſtudio apte ſciteque junxerint. Ita enim ſpes eſſet, fore, ut, huic quod deeſt, illa expleat: atque numi viciſſim opem ferant marmorum contemplationi vacantibus. Quod conſilium uti nequeunt atro lapillo notare, qui verum a falſo internoſcere ſciunt, & ſerio cupiunt: ita illud iniiſſe me poenituit nunquam; qui & alias ſaepe, & in praeſenti de diis hominibusque ſervatoribus diſputatione, fructum inde cepi maximum. Apud me enim conſtitutum quum haberem, in ea ſcriptione, qua publico Graecas Orientalesque litteras docendi muneri, a SERENISSIMIS Almae Iuliae NVTRITORIBVS clementiſſime mihi demandato, erat praeludendum, cauſſas exquirere, quibus impulſus D. Paulus Deum ejusque ab aeterno genitum filium σωτῆρος titulo mactat: eas quidem vetuſti aevi numos patefacere intelligebam; ſed ita, ut ſimul perſpicerem, niſi etiam marmora in ſubſidium adhiberentur, accuratam hujus argumenti enodationem daturum neminem.

§. II.

Epiſtolas percenſenti, quibus gentium ſuperſtitioſarum doctor, D. Paulus, religionis Chriſtianae capita uberius ſuis declarare inſtituit, permirum neceſſe eſt videatur, cum Deum T. O. M,

(p) Profitetur hanc ſententiam & firmare ſatagit in *Comparatione inſcriptionum & numiſmatum*, quam comitem dedit *Interpreti Etruſco*, Venetiis 1720. 8. Italica lingua, edito. Vid. *Acta Erudit. Latin.* An. 1723. p. 228. ſq.

M, tum filium ejus, Ieſum Chriſtum, *σωτῆρος* nomine inibi appellari. Augebit motam hanc admirationem crebra repetitio ejus tituli, quo duodecies utitur vir ſanctus; ſemel nempe in epiſtola ad *Epheſios* (q), itidem ſemel ad *Philippenſes* (r), quater ad *Timotheum* (s) & ſexies ad *Titum* (t), Cretenſium praeſulem, ſcribens. Quum enim in aliis ſcriptis, quibus civitates, a profanae religionis errore ad veri numinis cultum traductas, ad divinas veritates ulterius informavit, fruſtra quaeratur hocce elogium: utique habuiſſe Apoſtolus videtur, cur idololatras alloquens, & his potiſſimum in epiſtolis, illud adhibuerit. Conſulto dico, in litteris ceteris, ad gentes ſuperſtitioſas miſſis, illud cognomen non occurrere, probe gnarus, Paulum in oratione, quam ad Judaeos, Antiochiam Piſidiae incolentes, habuit, Chriſtum *σωτῆρα* (u) appellaſſe. Populares ſuos hac voce eſt affatus, ut eos commonefaceret, Chriſtum eſſe regem Meſſiam, ipſis מושיע, i.e. *Servator*, dictum (x), & a quo תשועת עולמים, *ſalutem aeternam*, debeant exſpectare. At, locis ſupra citatis, uſum arbitror hoc titulo, ut vero, aeterno atque immortali numini vindicaret, quod Graecos Romanosque commentitiis diis, immo etiam obnoxiis morti hominibus, tribuere indignabatur. Hac voce adhortari ſuos voluit, ut multo potius colerent deum praepotentem, qui verbo veritatis *πάμπολυ*, verba recito CLEMENTIS, Alexandrini, (y), τὴν

(q) Cap. V, 23. Conf. IO. CHRISTOPH. WOLFII *curas philologicas in X. poſteriores S. Pauli epiſtolas* p. 138. qui *σωτῆρος* elogium, a quibusdam ad virum, de quo paullo ante loquitur Apoſtolus, relatum, Chriſto recte, niſi fallor, vindicat.

(r) Cap. III, 20.

(s) 1. Ep. I, 1. Cap. II, 3. Cap. IV, 10. & 2. Ep. I, 10.

(t) Cap. I, 3. 4. II, 10. 13. III, 4. & 6.

(u) Actor. XIII, 23.

(x) *Servatoris* nomine hodienum venire Meſſiam Judaeis, videbit, cui volupe eſt legere, quae ſcribunt R. SALOMO JARCHI ad Dan. VIII, 14. & R. NAPHTALI in עמק המלך fol. 126. col. 1. edit. Amſtel. In מחזור, ſ. *liturgia anniverſaria majori*, frequentiſſime occurrit formula loquendi: אבינו מלכנו הצמח לנו ישועה בקרוב, *Pater noſter, rex noſter, fac, ut brevi nobis progerminet ſalus* i. e. Meſſias Servator. Conf. IO. HENR. MAII *ſynopſin Theologiae Judaicae, veteris & novae* p. 129. ſq.

(y) *Paedagog.* lib. I, p. m. 58.

τὴν σωτηρίαν ἁπάσῃ τῇ ἀνθρωπότητι, *multum ſalutis toti hominum generi* afferat, quam, ut ſalutem peterent παρὰ τῶν ἐπιβούλων σωτηρίας, *ab ipſorum ſaluti inſidias ſtruentibus*; quemadmodum idem praeſul alibi (z) loquitur. In hanc quidem ſententiam dudum diſceſſionem novi feciſſe τὸν μακαρίτην, IO. GODOFR. LAKEMACHERVM (a) atque EDMVND. CHISHVLL (b), quorum hic diſerte ſcribit: *Aut ego egregie fallor, aut idem ille & Κῆρυξ, & Ἀπόστολος, & Διδάσκαλος ἐθνῶν, falſos Σωτῆρας Θεὺς, toties a Graecorum Praeconibus annuntiatos, toties in nummis & lapidibus inſcriptos, deteſtatus, veram idcirco appellationem* Σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, *non ſemel ad Timotheum & Titum ſcribens, unico mundi* Salvatori, *Deo atque homini, aſſeruit.* Quemadmodum vero horum duumvirorum neuter quanta fuerit deorum hominumque ſervatorum apud veteres multitudo, ea, qua fieri oportebat, accuratione demonſtravit; aut etiam rationem depromſit, quare ad Philippenſes praecipue, Epheſios atque Cretenſes ſcribens vir ſanctus neceſſe judicaverit, ſervatoris honorem aſſerere ſummo numini: ita operae pretium erit, utrumque momentum data opera explicare. Quod ut fiat dilucide, duo mihi cumprimis ſunt facienda; primum, ut ſervatores, quos venerata eſt antiquitas, ex numis marmoribusque enumerem; atque hac ratione oſtendam, frequenti hujus tituli abuſu commotum Apoſtolum pro numinis ter maximi privilegiis propugnaſſe: alterum, ut eorundem monumentorum auxilio evincam, Philippis cum maxime, Epheſi & apud Cretenſes θεῶν σωτήρων cultum viguiſſe; quo demonſtrato tota cauſſa explicata erit atque ante oculos omnium expoſita.

§. III.

Quam ingens deorum hominumque ſervatorum agmen a ſuperſtitioſa vetuſtate fuerit cultum, quodammodo jam intelligitur

(z) In *Protreptic.* p. 12.

(a) In prolegomenis ad *antiquitates Graecorum ſacras* p. 6.

(b) Vide ejus *notas in Pſephiſma Sigeorum, ad honorem regis Antiochi ſpectans*, quae ſubjunctae leguntur ipſius *commentario in inſcriptionem Sigeam*, βουστροφηδὸν *exaratam*, p. 120.

tur ex eorum catalogo, in quo contexendo SEB. FAESCHIVS (c), EZ. SPANHEMIVS (d) & CHRIST. LVD. SCHLICHTERVS (*) operam poſuerunt minime ſegnem. Verum, maxima licet fuerit atque ferme improba horum virorum diligentia: tantum tamen abeſt, ut omnes percenſuerint, ut potius ſpicilegium nobis reliquerint ipſa meſſe propemodum uberius. Ad deos quod attinet, & eos quidem, quos Conſentes l. majorum gentium veteres dicere ſueverant, tantum non omnes Σωτῆρος titulo exornatos in numis lapidibusque deprehendi. Inter mares principem locum merito aſſignamus *πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων πατέρι*, IOVI, quem SERVATOREM in Domitiani numo aereo dici, teſtatur LAEVIN. TORRENTIVS (e). Celebrare fortaſſis voluit Domitianus hoc numo Jovem Conſervatorem eum, cui potiente rerum patre modicum ſacellum aramque poſuiſſe, apud TACITVM (f) legimus. Idem, CONSERVATORIS ſcilicet, cognomen gerit in numorum aereorum biga, quam depictam num. 1. & 2. ſiſtimus. Alter, qui Commodi eſt, & inter reculas meas aſſervatur, Jovem oſtendit imperatorem juvenem chlamyde protegentem & ſalvum conſervantem. In altero Severi Alexandri autem, quem munificentiae Magnifici Hamburgenſium Conſulis primi, IO. ANDERSONII, debeo, fulmen vibrat orbis Romani hoſtibus terrorem injecturus, ut ne quid detrimenti reip. injungant. Numis adjungo lapidem veterem, Bochignani repertum, qui propterea cumprimis memoratu dignus videtur, quod *Servatoris* titulo illum *Conſervatoris* addat.

IOVI
OPTIMO. MAXI
MO. SERVATORI
CONSERVATORI
P. AELIVS. CHRESTVS
EX. VOTO. SVSCEP
PTO. ARAM. CONSA
CRAVIT

(c) In *Epiſt. de numo Pylaemenis Euergetae, regis Paphlagoniae*, quam de Latino Gallice verſam vide in *Recherches curieuſes d' antiquité par Mr.* SPON p. 317. ſq.

(d) De *praeſtant. & uſu numiſmat.* Tom. I, p. 415. ſq.

(*) In *decimis ſacris* p. 492. ſqq.

(e) Ad SVETONII *Domitian.* cap. 5.

(f) *Hiſtor.* lib. III, cap. 74.

Pro SERVATORI initio quidem Vrſini ſchedae habuerunt SALVATORI, quod poſtea in SALVTARI mutatum. Recte autem ſecutus eſt in lapide hoc edendo IAN. GRVTERVS (g) codicem Pighianum: quandoquidem hic marmora accurate deſcripta exhibere ſolet; nec conjunctio ſimplicis & compoſiti inconcinna videbitur cogitanti, aliquod ſubeſſe diſcrimen. Vtrumque convenit cum illo *Soſpitatoris*, quippe quod vocabulum, FESTO (h) cenſente, *ex Graeco videtur ſumtum, quod eſt σώζειν*. A Jove Conſervatore igitur haud differt ille SOSPITATOR, quem in Caracallae & ejus fratris Getae numis num. 3. & 4. contemplamur (i). Neque Romani ſoli, ſed illi quoque populi venerati ſunt Jovem Servatorem, qui Graece loquebantur, apud quos conſecratum ipſi erat poculum, aqua temperatum & in conviviis hauriendum, quum menſa jam eſſet remota. Dicebatur enim ΔΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ *πόμα*, JOVIS SERVATORIS *poculum*, cujus praeter PINDARVM (k) & DIODORVM, Siculum (l), meminit ATHENAEVS (m), qui etiam hujus appellationis rationem indicaturus ſcribit: Τῷ *μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προσδιδομένῳ ποτηρίῳ* ΔΙΑ ΣΩΤΗΡΑ *ἐπιλέγουσι τῆς ἐκ τοῦ μίγματος ἀλύπου κράσεως τὸν καὶ τῶν ὄμβρων ἀρχηγὸν αἴτιον ὑπολαβόντες· ἐδέησεν οὖν βοηθημάτων τοῖς ἐν τῷ πότῳ κεφαλὴν ἐπιθλιβεῖσιν. Peracta cœna quum poculum primum, aqua temperatum, porrigitur,* IOVEM SERVATOREM *acclamant, pulviae largitorem jucundae etiam commixtionis auctorem exiſtimantes. Iis enim, quorum caput mero tentabatur, opus fuit remedio.* In urbe Athenarum templa huic Jovi Salutari dedicata novimus duo; quorum alterum, uti ex ARISTOPHANE (n) & LYCVRGO (o) patet, in Acropoli exſtructum; alte-

(g) In *Corpore inſcriptionum antiquar.* P. XVIII. num. 6.

(h) Voce *Siſpita.*

(i) Priorem ex IO. TRISTANI *commentariis hiſtoricis de vita & numis Impp. Rom.* T. II, p. 176, poſteriorem vero ex *Theſauro numiſmatum e Muſeo* CAROLI PATINI ſumus mutuati.

(k) *Iſthmic.* Od. VI. v. 10. ſq.

(l) *Bibliothec. hiſtor.* lib. IV. p. 212. edit. Rhodomann.

(m) Deipnoſoph. lib. XV. p. 675. & alibi paſſim. Conf. *Proverbiorum paroemiarum & parabolarum collectionem*, Frf. 1670. fol. editam, p. 571. ſq.

(n) *Plut.* v. 1176.

(o) In *Orat. adverſus Leocratem* p. 114.

alterius vero, quod Piraeeum ornabat, deſcriptionem cupienti Geographorum princeps, STRABO (p), ſatisfaciet. Hunc ipſum Athenienſium Jovem Servatorem hodieque in eorundem veteri aere nos conſpicari, parum abeſt, quin animum inducam. Quid, quod haud dubitanter affirmo, ex hoc genere eſſe numiſma, quod, a NIC. FRANC. HAYMIO (q) vulgatum, num. 5. repraeſentamus. Confirmat ſententiam Jovis in numo habitus, ei ſimillimus, quo deos Servatores plerumque pictos in diſſertationis hujus progreſſu paſſim videbimus. Solent nimirum monetarii eos exhibere armis, cuique propriis, pugnantes; quemadmodum hic Jupiter criſpiſulcante igneo fulmine Athenienſium hoſtes diſcutere videtur. Per hoſtes intelligo Perſarum copias, a quarum furore quum Atticam Graeciamque reliquam vindicaſſet Jupiter: illum titulum commeruit. Ita certe quorundam ad veritatem propenſior tulit opinio; quam, quominus etiam noſtra aſſenſione approbemus, nihil prohibet, quod PETR. MOLL (r) cauſſatur, diu ante Xerxis tempora aram Jovi Servatori jam fuiſſe ſtatutam. Teſtatur quidem EVRIPIDEM (s), apud quem in hunc ſenſum loquitur Amphitruo;

Βωμὸν καθίζω τόν δε ΣΩΤΗΡΟΣ ΔΙΟΣ.
Ὅν καλλινίκου δορὸς ἄγαλμ' ἱδρύσατο
Μινύας κρατήσας ὁυμὸς ἐυγενὴς τόκος.
Ad aram hanc IOVIS SERVATORIS *ſedeo,*
Quam victricis haſtae monumentum ſtatuit,
Quum Minyas viciſſet, generoſus filius meus.

Verum, his Tragici elegantiſſimi verſibus, ego ſi quid judico recte, id tantum demonſtratur, vetuſtiſſimis jam temporibus ſueviſſe homines poſt exanclatos acris certaminis labores Jovi Servatori conſecrare altaria; illumque Thebanorum *Δία σωτῆρα* ab Athenienſibus culto fuiſſe antiquiorem.

(p) *Geograph.* lib. IX, p. 606. edit. Almeloveen.

(q) *Theſaur. Britannic.* Tom. I. p. 172.

(r) *Animadverſionib. ad* LONGI *paſtoralia* p. 110. a.

(s) In *Hercul. furent.* v. 48. ſqq.

§. IIII.

Jovem ſequatur ipſius frater germanus mariſque dominus, NEPTVNVS, quem cognomine Servatoris appellarunt Graeci, quum facti eſſent certiores de Perſarum claſſe, gravi tempeſtate afflicta. Hujus rei teſtem habemus hiſtoriae parentem, HERODOTVM (t): *Τοῖσι Ἕλλησι οἱ ἡμεροσκόποι ἀπὸ τῶν ἄκρων τῶν Εὐβοϊκῶν καταδραμόντες δευτέρῃ ἡμέρῃ, ἀπ᾽ ἧς ὁ χειμὼν πρῶτον ἐγένετο, ἐσήμαινον πάντα τὰ γενόμενα περὶ τὴν ναυηγίην. οἱ δὲ, ὡς ἐπύθοντο, ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΙ ΣΩΤΗΡΙ εὐξάμενοι, καὶ σπονδὰς προχέοντες, τὴν ταχίστην ὀπίσω ἠπείγοντο ἐπὶ τὸ Ἀρτεμίσιον· ἐλπίσαντες ὀλίγας τινάς σφι ἀντιξόους ἔσεσθαι νῆας. οἱ μὲν δὴ τοδεύτερον ἐλθόντες περὶ τὸ Ἀρτεμίσιον, ἐναυλόχεον, ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ ἐπωνυμίην ἀπὸ τοῦδε ἔτι καὶ ἐς τόδε νομίζοντες. Græcis diurni ſui ſpeculatores, ex Euboicis verticibus decurrentes, altero ab exorta tempeſtate die indicarunt omnia, quae circa naufragium contigerant. Quae iſti ubi audierunt,* NEPTVNVM SERVATOREM *fuſis libaminibus venerati celerrime rurſus ad Artemiſium revehuntur, ſperantes, ſibi paucas naves fore adverſarias. Ita ad Artemiſium profecti, iterum ſtationem habuere ad templum* NEPTVNI *cognomine* SERVATORIS: *quod nomen ab illis inditum, ad hoc usque tempus perdurat.* Diſcimus hinc non ſolum, quo tempore praecipue hunc titulum fuerit conſecutus, ſed etiam inditum eſſe ob rationem, ei contrariam, a qua ceteros hanc nominationem petiiſſe, memoriae prodiderunt veteres Theologi. Ex horum enim ſententia Servatoris cognomen traxit Neptunus a ſollicitudine, qua naves ex turbulento mari ſartas tectasque in portum deducere credebatur. Ipſe Neptunus hanc rationem ediſſerit apud LVCIANVM (u): *Ἐγὼ τὰ μὲν ἄλλα ὑποβρύχιός εἰμι, ὡς ἴστε, καὶ ἐν βυθῷ πολιτεύομαι κατ᾽ ἐμαυτόν. εἰς ὅσον ἐμοὶ δυνατὸν, ΣΩΖΩΝ τοὺς ΠΛΕΟΝΤΑΣ, καὶ παραπέμπων τὰ πλοῖα, καὶ τοὺς ἀνέμους καταμαλάττων. Ego alias quidem, ut noſtis, in profundis regionibus regnans pro virili parte* NAVIGANTES SERVO, *navigia comitor ventorumque rabiem demulceo.* Luciano ſuffragatur ORPHEVS, vel quisquis alius hymnorum, qui ipſius inſcribuntur nomine, eſt auctor (x): *Ἕδρανα*

(t) *Polymn.* cap. 192.
(u) In *Iove Tragoedo* T. III. Opp. p. 438.
(x) Pag. 114. edit. Eſchenbach.

Ἕδρανα γῆς ΣΩΖΟΙΣ καὶ ΝΗΩΝ ΕΥΔΡΟΜΟΝ ὉΡΜΗΝ.
Terrae fundamenta SERVAS & RECTVM NAVIVM CVRSVM.

Atque ob hanc ſalutem, in mari periclitantibus quam afferre dicebatur Neptunus, cum in aliorum imperatorum numis, tum in aereo Gallieni, quem, a LAVR. BEGERO (y) acceptum, ſollers artificis manus num. 6. expreſſit, CONSERVATOR AVG. ſalutatur. Olim perſuaſum paene habebam, AVRELIVM VICTOREM (z), quum duriſſima imperii Romani ſub Gallieno tempora his verbis deſcribit: *Ita quaſi ventis undique ſaevientibus, parvis maxima, ima ſummis, orbe toto, miſcebantur;* lucis aliquantulum huic numiſmati affundere. Arbitrabar nempe, imperatorem amentiſſimum, inepta uſum gloriatione, Neptuno, quaſi fluctus, remp. jactantes, ſedaſſet, gratum comprobare voluiſſe animum. Poſtquam vero cogitare coepi, hanc interpretationem e longinquo peti: ad veritatem propius accedere videbantur ſtatuentes, hunc numum eſſe ſignatum, ut Neptunus celebraretur, vel, quod imperatorem Byzantio ſalvum reduxerit Romam; vel, quod Scytharum, Heraclea cum praeda revertentium, claſſem, procellarum turbinibus quaſſatam, maximam partem confregerit (a). Alias, quum Neptunus principem domum cum favore proſecutus crederetur, numi, in ejus rei memoriam cudendi, titulo NEPTVNI REDVCIS inſigniebantur; quod factum conſpicantur lectores in Fl. Veſpaſiani aureo, quem, ex locupleti gaza Brandenburgica repetitum, num. 7. exhibemus. Celeberrimus theſauri iſtius quondam praefectus, LAVR. BEGERVS (b), hujus cognominis rationem derivandam exiſtimat ab ea Veſpaſiani fortuna, qua, provinciis maritimis claſſibusque occupatis, vel ſola fame Romani imperii caput ſe in ſuam redacturum poteſtatem, teſtante IOSEPHO, (c) ſperabat. Conjecturam hanc ingenioſe captam, non diffiteor: metuo autem, ut acu Begerus rem tetigerit. Conjiciet enim, mea quidem ſententia, melius, qui hoc numo laudari

 affir-

(y) *Theſaur. Brandenburg.* Tom. II. p. 742.
(z) De *Caeſaribus* cap. 33.
(a) Vid. TREB. POLLIO de *duobus Gallienis* cap. 7.
(b) Loc. cit. p. 633.
(c) De *Bello Judaic.* lib. IV. cap. 11.

affirmabit ſtudium, quocum Veſpaſiano, in Italiam ad faſces imperii capeſſendas naviganti, praeſto Neptunus fuiſſe dicebatur. Tunc temporis enim egebat ſalutis defenſore imperator, quippe qui hieme ſeneſcente, quum mare adhuc turbidum eſſe ſolet, & Eteſiarum flatum adverſum habens, iter erat ingreſſus; quorum illud modo laudatus IOSEPHVS (d), hoc vero TACITVS (e) refert.

§. V.

Pergimus ad Jovis filios, in quibus obviam ſe nobis offert primus APOLLO, Muſices, vaticiniorum, immo etiam artis ſalutaris praeſes, quem Lapithas, ad Pindum & Othryn, montes Theſſaliae percelebres, olim habitantes, ΣΩΤΗΡΟΣ cognomine appellaſſe, teſtem producimus numiſma, quod, ab eodem LAVR. BEGERO (f) editum, num. 3. aeri curavimus incidendum. Cauſſam, qua inducti Lapithae, vel, ut in numo noſtro dicuntur, Lappithae, haec Servatoris Apollinis ſacra receperunt, in eo mihi videor reperiſſe, quod huic populo in pugna adverſus Centauros fuerit opitulatus. Deſcribunt hoc certamen praeter complures alios APOLLONIVS, Rhodius (g), HORATIVS (h), STRABO (i) atque HOMERVS (k). Qui enim huic civitati ſubveniret, cognatio poſtulabat, qua cum ipſa erat conjunctus. Λαπίθαι enim, ut notant APOLLONII interpretes vetuſti (l), ἀπὸ Λαπίθου τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Στίλβης νύμφης ὠνομάσθησαν; *Lapithae a Lapitha, Apollinis filio, & Stilba, Nympha, ſunt prognati.* Quod ſi conjecturam cumulare licet nova, fateor, abeſſe parum, quin cenſeam, Severum in numo, quem, a GEORG. WHELERO (m) deſumtum num. 9. repraeſentamus, Apollinem dixiſſe AVGVSTI CONSERVATOREM, ut publico hoc monumento ſempiternae memoriae commendaret opem atque ſalutem, quam in bellis adverſus tyrannos, Didium

(d) Loc. cit. ſub finem capitis.
(e) *Hiſtor.* lib. II. cap 98.
(f) In *Theſauro Palatino* p. 261.
(g) *Argonautic.* lib. I. v. 41. ſq.
(h) Lib. I. *Od.* 18. v. 6. ſqq.
(i) *Geograph.* lib. IX. p. 671.
(k) *Odyſſ.* φ' 295. ſqq.
(l) Ad loc. citat.
(m) Vid. tabul. aeri inciſ. num. 9. praemiſſ. ipſius *Itinerario per Dalmatiam Graeciamque* de Anglico Gallice reddito editoque Amſtel. 1689. 8.

Didium Julianum, Albinum & Peſcennium Nigrum, ab Apolline perſuaſum habebat accepiſſe. Nonnihil firmamenti huic ſententiae addit in numo conſpicuus Centaurus, cujus corpus, ſagitta vulneratum, largiter fundit cruorem. Quominus enim temperantiae, pietatis atque juſtitiae ineſſe poterat in hujus generis monſtro: eo majori jure Centauri imagine veteres adumbrarunt impotentem tyrannorum dominationem, ad quam exterminandam proniſſimum eſſe Apollinem, ſuperſtitioſae antiquitatis fuit opinio. Non piget hac de perſuaſione adſcribere, quae STRABO diſſeruit (n), de Tityo & Pythone fabulas in hunc modum interpretatus: Γενόμενον κατὰ Πανοπέας Τιτυὸν καταλῦσαι, ἔχοντα τὸν τόπον, ΒΙΑΙΟΝ ΑΝΔΡΑ καὶ ΠΑΡΑΝΟΜΟΝ· τοὺς δὲ Παρνασσίους συμμίξαντας αὐτῷ, καὶ ἄλλων μηνῦσαι ΧΑΛΕΠΟΝ ΑΝΔΡΑ Πύθωνα τοὔνομα, ἐπίκλησιν δὲ Δράκοντα· κατατοξεύοντα δ᾽ ἐπικελεύειν ἲε Παῖνα. *Ibi quum ad Panopeos perveniſſet, Tityum ab eo interfectum fuiſſe, qui ejus loci* DOMINUS, VIOLENTUS *erat atque* INIURIUS *homo. Tum ad eum veniſſe Parnaſſios, aliumque* INTOLERABILEM *detuliſſe* HOMINEM, *Pythonem nomine, cognomento Draconem: quem Apollo ſagittis conficiens acclamare juſſerit, Iie Paean!* Alias, & ut plurimum quidem, Apollo apud Graeciae Latiique incolas Σωτῆρος encomio praedicabatur, quod eum morbi gravitates depellere luisque ſedare flagrantiam, autumarent. Hinc praeco apud AESCHYLUM (o):

> Ὁ Πύθιός τ᾽ ἄναξ,
> τόξοις ΙΑΠΤΩΝ μηκέτ᾽ εἰς ἡμᾶς ΒΕΛΗ.
> Ἅλις παρὰ Σκάμανδρον ἦλθες ἀνάρσιος·
> Νῦν δ᾽ αὖτε ΣΩΤΗΡ ἴσθι κἀπαγώνιος,
> Ἄναξ Ἄπολλον.

> *Et Pythius rex,*
> *Arcubus non amplius in nos* VIBRES TELA;
> *Satis ad Scamandrum infeſtus eras:*
> *Nunc autem eſto* SERVATOR, *nec oppugnes nos,*
> *O rex Apollo.*

MACRO-

(n) Geograph. lib. IX. p. 647.

(o) In *Agamemn.* v. 518. ſqq.

MACROBIVS (p): *Eadem opinio,* SOSPITALIS & MEDICI *dei, in noſtris quoque ſacris fovetur. Namque virgines Veſtales ita indigetant: Apollo medice, Apollo Paean.* Atque inde eſt, quod in Treboniani Galli numo, apud IO. TRISTANVM (q) obvio, SALVTARIS APOLLO, (vid. num. 10.) ſalutatur. Hoc enim imperante Ὁ ΛΟΙΜΟΣ, verba ſunt ZOSIMI (r), *πόλεσί τε καὶ κώμαις ἐπιγενόμενος, ἔι τι λελειμμένον ἦν ἀνθρώπειον γένος διέφθειρεν, ὅυπω πρότερον ἐν τοῖς φθάσασι χρόνοις τοσαύτην ἀνθρώπων ἀπώλειαν ἐργασάμενος;* LVES PESTILENS, *in oppidis atque vicis ſubſecuta, quicquid erat humani generis reliquum, abſumſit: quae ſane nunquam ſuperioribus ſaeculis tantam hominum ſtragem ediderat.* Quum Sol atque Apollo pro uno eodemque habiti fuerint numine, ſeu in vulgus notum eſt: facile omnes adjungent fidem adfirmanti, eandem, quam Gallus habuit, Gallienum etiam moviſſe rationem, cur in numo, ipſius nomine ſignando, Solem appellare juſſerit CONSERVATOREM AVG. qualem ex ditiſſimo Farneſiorum Muſeo in lucem aſſeruit PAVL. PEDRVSIVS (s). Nam hujus etiam principis temporibus adeo gravis peſtilentia orbem Romanum vaſtavit, ut, quemadmodum TREB. POLLIO (t) ſcribit, *uno die quinque millia hominum pari morbo perirent.*

§. VI.

Praeter Apollinem in Deorum Servatorum numerum receptos invenio etiam MERCVRIVM atque MARTEM, ambos Jove prognatos. Priorem appellat CONSERVATOREM vetuſta inſcriptio apud IAC. SPONIVM (u):

MERCVRIO LVCRORVM POTENTI
ET CONSERVATORI SACR.
C. GEMETINVS C. FIL. VALERIANVS
IIII VIR AP. PR. AR. ID. C. GEMETINVS
VALERIANVS SECVNDVS VALERIA
S..IS EX VOTO DONVM POSVIT
ET DEDICAVIT - L. D. D. D.

Immo

(p) *Saturnal.* lib. 1. cap. 17. p. m. 253.
(q) Tom. II. p. 672.
(r) *Hiſtor.* lib. I. cap. 26. ſub finem.
(s) *Muſ. Farneſian.* Tom. IV. tab. XII. n. 10.
(t) Cap. 5.
(u) *Miſcell. erudit. antiq.* Sect. III. p. 9.

Immo marmoris, in agro Brixienſi reperti, quod exſcripſit IAC. PHIL. TOMASINVS (x), auctor eundem deorum nuncium magnifico MAXIMI CONSERVATORIS ORBIS titulo mactat:

MERCVRIO MAXIMO
CONSERVATORI ORBIS
C. SILIVS FVNDANVS
C. FIL. QVIR. XV VIR
SACR. FAC. STATVAM
ET ARAM CC.
V. S. L. M.

Quemadmodum autem hoc nomine Mercurium vocatum recte „arbitratur THOM. REINESIVS (y), quod φυσικῶς conſideratus „præeſſet ingenio, ſeu rationi, & ſermoni, ſeu eloquentiae, & „artes, ad quas docendas diſcendasque tam ſolertia, quam ora„tione opus, inveniſſe & tradidiſſe mortalibus; imo vero etiam, „quod negotiis humanis & lucro, e talibus emergenti, mercatu„rae, proventibus omnis generis, & ſimilibus, quibus reſp. & „ſocietates quaevis ad ſui integritatem & ſalutem carere neque„unt, ſuperintendere putaretur„: ita credo quoque, Oreſtem, Argos reverſum, ut patris ulciſceretur caedem, eum in finem apud AESCHYLVM (z) Mercurium invocare:

ΣΩΤΗΡ γενοῦ μοι - -
SERVATOR *mihi ſis* - -

ut vindictae transactor ſibi adeſſe, & prohibere velit, quominus parricidae ipſius ſalutem evertant. Mercurium, optime meritum de hominibus, quos locupletatos ſalvosque domum reducere & in omnibus rebus adjuvare cenſebatur, in deûm Σωτήρων ordinem cooptaſſe veteres, mirum videbitur nemini. At Martem, omnia flammis ſubditis corrumpentem, &, ſartum ne quid manea tectumque, ſtudioſe curantem, benefico hoc cognomine inſignitum eſſe unquam, vix hariolando eſſem aſſecutus, niſi vetuſtatis monumenta excutienti occurriſſent quaedam, titulo hoc inſcripta. Ita inter Conſtantini M. numiſmata, a LAVR. BEGERO explicata

C (a),

(x) De *donariis ac tabellis votivis* cap. III. p. 32.

(y) In *Syntagmat. inſcript. antiq.* p. 118.

(z) In *Choephor.* v. 2.

(a), reperi eum, in quo, num. II. depicto, contemplamur MARTIS CONSERVATORIS imaginem. Eodem ſplendido nomine decoratur in veteri lapide, quem juris publici fecit RAYM. DVELLIVS (b):

MARTI. PATR
CONSERVAT
ORI. ET BONAE
VICTORIAE
L. AEL. RVFIN
VS. PRO SE ET
SVOS.
V. L. P.

Vtrumque crediderim, Conſtantinum M. & Ael. Rufinum, cur ita appellaret tot exercituum internecione, tot agrorum vaſtatione inclytum belli numen, hanc habuiſſe rationem, quod perſuaſum ipſi fuerit, ſibi in pugna periclitanti ſubveniſſe & corpus ipſius ſervaſſe Martem; ut adeo hoc cognomen h. l. idem denotet, quod ſolemni illa, & toties in numis obvia, formula OB CIVES SERVATOS vetuſtiores Romani exprimebant. Qua in opinione eo firmius perſiſto, quo magis illa ab omni dubitatione liberatur ſequenti inſcriptione, quae apud IAN. GRVTERVM (c) legitur:

MARTI. AVG.
CONSERVATORI
CORPORIS. SVI
MERCVRIALIS. AVG.
N. V. EX. IVSSV
NVMINIS. IPSIVS
SIGILLVM. MARMOREVM
POSVIT.

§. VII.

Accedamus jam ad deas conſentes a priſcis, ſuperſtitioni addictis, populis Servatricum cognomine appellatas, in quibus

IVNO

(a) *Theſaur. Brandeburg.* Tom. II. p. 804.

(b) In *Lucubratione epiſtolari de variis, iisque potiſſimum ſelectis ad elegantiores litteras pertinentibus rebus*, quae lucem vidit Noriberg. 1733. 4. p. 17.

(c) Pag. LVII. n. 4.

IVNO merito ducit agmen. Veterem Romam memoria repetentes mentionem fieri animadvertunt crebram Junonis Siſpitae, ab ea non diverſae, quam Soſpitam alias, aut Servatricem, ſalutari, antiquitatum norunt ſtudioſi. *Siſpitam Junonem*, inquit FESTVS (d), *quam vulgo Soſpitam appellant, antiqui uſurpabant, quum ea vox ex Graeco videatur ſumta, quod eſt σώζειν.* Quam Siſpitam ſicuti in primis venerabantur Lanuvii habitatores; unde factum, ut *Lanumvianae* (e) nomen ſortiretur: ita ejus imaginem in variis familiarum, quae quondam Romae floruerunt, e. g. Mettiae, Papiae, Prociliae, Roſciae, Thoriae &c. numiſmatibus etiamnum hodie contemplamur. Ejus rei rationem habuiſſe gentes iſtas hanc, ut ſe origine Lanuvianas eſſe, indicio profiterentur publico, obſervatum memini EZ. SPANHEMIO (f); qui, niſi per errorem eſt lapſus, Lanuvini genere etiam dicendi erunt Cornuficii; ſiquidem eandem deam ſiſtit hujus familiae numus aureus, a CAROL. CAES. BAVDELOTIO (g) divulgatus atque pro more ejus erudite juxta atque ingenioſe explicatus (vid. num. 12.). Siſpitae quidem ex eo exulat titulus: non aliam autem, quam Junonem, Lanuviorum Soſpitam, inibi eſſe ſignatam, plane perſpicua, nec dubitanda indicia ſunt pellis caprina, ſcutula, atque repandi calceoli, qualem habitum huic deae tribuit CICERO. *Tam hercle*, inquit facundiae Romanae parens (h), *quam tibi illam noſtram* SOSPITAM, *quam tu nunquam ne in ſomnis quidem vides, niſi cum* PELLE CAPRINA, *cum haſta, cum* SCVTVLO, *cum* CALCEOLIS REPANDIS. Dixere autem Junonem Lanuvianam Romani *Soſpitam*, quod ſub ipſius tutela urbem ſalvam, atque remp. ab omni incommodo & detrimento ſinceram integramque conſervari crederent. Cujus opinionis veſtigia minime obſcura in ipſo numo exſtant aquila, ſignum militare, atque Ancile: quae ſecutus modo

 lau-

(d) Vocabulo *Siſpita.*

(e) Legitur hoc nomen in lapide veteri apud RAPH. FABRETTVM in *inſcriptionum antiquarum, quae in paternis aedibus aſſervantur, explicatione.* p. 698.

(f) De *praeſtant. & uſu numiſmat.* Tom. II. p. 13.

(g) Eius *Explication d' une medaille d' or de la Famille Cornuficia* exſtat ad calcem epiſtolae *ſur le pretendu Solon des pierres gravées* Pariſ. 1717. 4. editae.

(h) De *Natur. Deor.* Lib. I. cap. 29.

laudatus Baudelotius (i) recte ſcribit: „Ce ſymbole neanmoins „joint avec l' eſpece de bouclier que les Romains appelloient An„cyle pourroit bien ſignifier quelque choſe par rapport à la ſtabilité „& à la conſervation de la republique„. Ancile enim, caelitus delapſum, *ſecretum* habebatur *imperii pignus* (k); quo ſuperſtite ſemper in rebus proſperis & ad voluntatem fluentibus ſe victuros, Romani ſperabant; quemadmodum referunt a TOB. GVTBERLETHO (l) magno numero excitati teſtes, quibus jungimus haec SERVII (m): *Regnante Numa Pompilio* SCVTVM *breve & rotundum caelo lapſum eſt. Et quum aruſpices reſpondiſſent, illic fore* VRBIS IMPERIVM, *ubi* ILLVD FVISSET: *diligentia Numae, ne quandoque ab hoſtibus poſſet auferri, adhibito Mamurio, fabro, multa ſimilia facta ſunt & in templo Martis locata.* Hujus igitur Palladii ſervandi curam quum detulerint ad Junonem Romani: perſpicuum fit, Baudelotium, exinde Soſpitae nomen derivantem, a vero deflexiſſe minime. Servatricis etiam habitu ſignatam Soſpitaeque titulo appellatam Junonem reperio in Antonini Pii, moduli maximi, numiſmate, quod, ex Muſeo Farneſiano (*) depromtum, num. 13 lectori ſiſtimus. Inibi cum ipſa IVNO SOSPITA miſſile in Romanorum adverſarios intorquet, tum anguis, PROPERTIO (n) decantata, ſublata cervice varia graviter micans eorundem animos formidine opprimere nititur. Voluit imperatorum optimus hac effigie notatos exſtare numos, partim, quoniam Lanuvium patriam habebat, quemadmodum refert IVL. CAPITOLINVS (o); & veterrima ejus familia e Lanuvino municipio, ut eſt apud AVREL. VICTOREM (p); partim, quoniam, eodem CAPITOLINO (q) teſte, *opera ejus templa Lanuviana ſunt reſtituta.* Neque vero Lanuvii ſolum, ſed in ipſa etiam

(i) Loc. cit. p. 37.
(k) Vid. FLORVS lib. I. cap. 2.
(l) Libro ſingulari de *Saliis* cap. 14. p. 76. ſqq.
(m) Ad *Aeneid.* lib. VIII. v. 664.
(*) Tom. VII. tab. 4. num. 7.
(n) Lib. VI. eleg. 8. v. 5. ſqq.
(o) In *vita Antonini Pii* ſub initium.
(p) De *Caeſaribus* cap. 15. conf. THOM. GATAKERVS ad *Antonini de rebus ſuis* lib. I. §. 16. p. 40.
(q) Loc. cit. cap. 8.

iam Romanorum urbe delubra bene multa Junoni Soſpitae fuerunt conſecrata, de quibus legiſſe, quae CAROL. NEAPOLIS (r) congeſſit, operae pretium fore, exiſtimo. In uno horum ſacerdotis munere functum auguror M. Amium, quem hoc nomine antiqua inſcriptio apud IAC. SPONIVM (s) collaudat:

M. AMIVS M. F. PAL. BALBVS
SACERDOS IVNONI REG. SISP
ITAE LANVMVIANAE FECIT
VIVENS ET AMIO IVNIO FI
LIO SACERDOTE IOVI SISP.
ET AMIAE MATRI PIISSIM.
IN FR. P. XIIX. IN. AGR. PED. XXVI.

Vidimus hactenus Junonem rei Romanorum publicae Conſervatricem. Videamus nunc quoque paucis eam ſuperſtitioſorum perſuaſionem, qua ſingulos quoque homines ſalvos praeſtare, eisque periclitantibus ſubvenire, ferebatur. Opinionis hujus reliquias deprehendi in lapide vetuſto, quem IAN. GRVTERO (t) refero acceptum:

IVNONI. PLACIDAE
CONSERVATRICI. AVGVSTAE
CLAVDIA. SABBATIS
BVLLAM. D. D.
ADDIDIT. ET. SCYPHVM. ET.
TRIPODEM. FORTVNAE. AVG.

Nec non in appoſito num. 14. Juliae Mamaeae numo (u), qui vel eam ob cauſſam in pretio habendus, quod verum hujus Auguſtae nomen, MAMIAS, ad noſtra tempora transmiſit. Opinanti, hoc cognomine Junonem a Claudia & Mamaea celebrari, quod partus gravis doloribus olim vexatis opem tulerit, nequaquam refragabor, bene memor & tritiſſimi illius Terentiani (x):

IVNO *Lucina*, *fer opem*, SERVA *me*;

 &

(r) Ad OVIDII *Faſt.* lib. II. v. 56.
(s) In *Miſcell. erudit. antiq.* ſect. III. p. 82.
(t) Pag. XXV. n. 2.
(u) Vid. *Diſſertations du R. P.* ETIENNE CHAMILLART *ſur pluſieurs medailles & pierres gravées de ſon cabinet*, à Paris 1711. 4. pag. 45.
(x) In *Andria* III, 1, 5.

& precum, quas Pſyche gravida, expletis jam fere ad pariendum menſibus, apud APVLEIVM (y) ad Junonem Lucinam dirigit, *Sis meis*, inquiens, *extremis caſibus Juno Soſpita, meque in tantis exantlatis laboribus defeſſam, imminentis periculi metu libera. quod ſciam, ſoles* PRAEGNANTIBVS *periclitantibus ultro* SVBVENIRE.

§. VIII.

Junonem CERES excipiat, in variis antiqui orbis monumentis Conſervatricis vocabulo nuncupata. Gaudet hoc titulo in ſequenti marmore, quod IAC. SPONIVS (z) ex ſchedis Barberinianis edidit:

CERERI CONS
ERVATRICI
ORGANIAN. SACR.
M. CLAVDIVS M. L.
ORGANIVS SACER.
DOS BONAE DEAE
ET SACERD. CORP.
LVTORVM ET
TECTOR.

Σωτεῖραν eandem Cererem dictam in veteri urbis Apameae numo reperit EZ. SPANHEMIVS (a), gazam Mediceam quum oculis animoque perluſtraret. Diu multumque circa appellationis hujus originem haud erit nobis laborandum. Agrorum cultura, quam Cererem edocuiſſe homines, toties occinunt poetae, &, quod conſuluiſſet humani generis & neceſſitatibus & commoditati, Conſervatricis deae honores adeptam eſſe, ſtatuimus. Quod ſi vero illuſtri hymnorum Callimachi interpreti aures praebere volumus: commeruit hoc cognomen Ceres, quod civium inter ſe concordiam ſervando ſalutare beneficium mortalibus exhibere, reputaverint vetuſti. Neque eſſe video, quod fidem denegemus viro eminentem, quem occupabat, dignitatis gradum exquiſita eruditione condecoranti. Immo, ut libentes ei totoque capite annuamus

(y) *Metamorphoſ.* lib. VI. p. m. 265.
(z) Loc. modo citato p. 90.
(a) Vid. ejus *obſervationes ad Callimachi hymn. in Cerer.* v. 135.

nuamus, complura, quibus nititur, veterum teſtimonia flagitant. Ita enim CALLIMACHVS (b)

Χαῖρε θεά, καὶ τάνδε ΣΑΩ ΠΟΛΙΝ, *ἔν θ'* ΟΜΟΝΟΙΑ,
Ἐν τ' ἐυημερίᾳ.
Salve Dea, & hanc SERVA CIVITATEM *in* CONCORDIA,
Inque felicitate.

Et ORPHEVS (c):

Ἐλθὲ μάκαρ' ἁγνή, καρποῖς βρίθουσα θερείοις.
ΕΙΡΗΝΗΝ *κατάγουσα καὶ εὐνομίην* ΕΡΑΤΕΙΝΗΝ,
Veni dea caſta, graveſcens frugibus aeſtivalibus,
Adducens PACEM *& jura* CONCORDIA *legum.*

Hinc perdiſcere ludus eſt, quid ſibi velit Homericus, vel Homerida, neſcio quis, in breviſſima in Cererem cantione accinens:

Χαῖρε θεά, καὶ τήνδε ΣΑΩ ΠΟΛΙΝ.
Salve Dea & hanc SERVA CIVITATEM.

Perinde ac Callimachus & Orpheus, implorat deam, ut unum ſenſum faciat omnibus, diſtractos in priſtinam reducat concordiam, ne diſſidio civitas dilabatur. Quoniam Ceres cum alibi paſſim, tum etiam apud APVLEIVM (d), *cognatam ſuam, qua cum ipſi antiquum fœdus amicitiae*, vocat VENEREM: fas erit hocce amorum voluptatumque numen ipſi dare comitem, itidem Σωτείρας honore mactatam in hoc, quod apud IAN. GRVTERVM (e) exſtat, marmore:

ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ
ΘΕΑΙ. ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ
ΚΑΙ. ΣΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ. ΕΥΚΛΕΙΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ
ΟΙ. ΜΑΡΩΝΙΤΑΙ
ΑΝΕΘΗΚΑΝ

Appellationis hujus rationem obſcuram iis modo exiſtimo fore, qui in antiquis, de Venere quae circumferuntur, fabulis plane ſunt hoſpites. Eadem ſcilicet fuit, qua commotus veteris ſcalpturae,

(b) Loc. citat.
(c) Pag. m. 138.
(d) *Metamorphoſ.* lib. VI. p. m. 264.
(e) Pag. LIX. n. 1.

pturae, a CAR. CAES. BAVDELOTIO (f) diligenter expoſitae, artifex deorum ſpurciſſimum dixit DIV. PRIAP. CONSERV. C. SILII.

§. IX.

MINERVAM, numen beneficum atque rebus humanis adeo ſalutiferum reputavit Graecorum natio, ut, quum nude Σωτεῖραν diceret, non aliam niſi hanc artium humaniorum lanificiique animo comprehenderet inventricem; quod HESYCHIVS (g) innuit, Σωτεῖραν interpretatus τὴν Ἀθηνᾶν παρὰ τοῖς Ἕλλησι. Idem cognomen tenet in veteri Ἱππονιέων argento, quod inter cimelia alia in Chriſtianiſſimi Galliarum Regis gaza, teſte EZ. SPANHEMIO (h), aſſervatur. Neque ab hac Servatrice Minerva diverſam arbitror, quam, artificis dexteritas effinxit in Athenienſium numo, quem, a CAROL. CAES. BAVDELOTIO (i) editum, num. 15. apponimus. Quamvis enim adſcriptum in fronte non habet Σωτείρας cognomen: nihilominus tamen in adoptata ſemel ſententia perſiſtendum cenſeo argumentorum biga, ad confirmandum exquiſita, inductus. Alterum ſuppeditat LYCVRGVS (k), qui, exſtructum in Acropoli fuiſſe Ἀθηνᾶς τῆς Σωτείρας delubrum quum teſtatur, ejus cultum Athenis viguiſſe ſimul patefacit. Alterum vero idemque praecipuum deſumo ab ipſius Minervae, decertantis, quo repraeſentatur, habitu. Hoc enim reliquos deos deasque Servatores ſignaſſe veteris monetae flatores, & ſupra jam obſervavimus & §. ſq. paullo dilucidius docebimus. In Romanam quoque remp. ejusdem Minervae Salutaris ſacra fuiſſe recepta, teſtimonio ſuo communit Gallieni numiſma, num. 16. delineatum, in quo hanc deam S. AVG. conſpicimus nuncupatam. Equidem

10.

(f) In libro, cui titulus *de l' utilité des voyages* T. I. p. 332. Conf. ejusdem *Explication d' une pierre gravée, dont l' empreinte a été envoyée à l' Academie des Inſcriptions & medailles aux mois de Fevrier* 1708. quod ſcriptum, ſuppreſſo auctoris nomine, ſine conſule & die editum, exſtat in 4.

(g) Vocabulo, Σώτειρα.

(h) de *praeſtant. & uſu numiſmat.* Tom. I. p. 419.

(i) In *Explicatione numiſmatis familiae Cornuficiae* p. 9.

(k) *Orat. adverſ. Leocrat.* p. 114.

IO. TRISTANO (l) primo eius editori, quum nullius recordaretur Romani numi, Minervam vocantis Servatricem, ſcrupulum inde iniectum memini, quaenam genuina huius epigraphes eſſet interpreratio; utrum ſcilicet SANCTAM exponeret, an vero SERVATRICEM. Verum, quem connexuit nodum Triſtanus, eum facili negotio ſolvit ingens numerus deorum Servatorum, quos ad opem Romanae reip., tot tyrannorum bellis propemodum ſubrutae atque proſtratae, ferendam evocavit Gallienus. Hic enim princeps Solem, Neptunum, Liberum Patrem, Dianam, Junonem aliosque (m) Conſervatorum titulo quum mactandos in aere argentoque ſuo curaverit: ſimili cognomine appellaſſe etiam Minervam, eo propius a vero videtur deflectere, quo maius auxilium homo ſuperſtitioſus a Minerva ſibi polliceri poterat, bellorum praeſide, immo etiam arcium urbiumque tutrice (n). Atque ab his Minervae officiis, & apud Graecos univerſos, & apud Hipponienſes Athenarumque habitatores, immo etiam Romanos, Minervæ Servatricis tractum cognomen, exiſtimo. Nequaquam enim audiendi ſunt ARISTIDES (o) & PROCLVS (p), quum ille *ἀπὸ τοῦ σώζειν ἅπαντα τὸν θεσμὸν*, *a rerum omnium conſervatione;* hic vero a fabulis myſticis, neſcio quibus, huius tituli originem derivandam praecipit. Haec enim & huiuscemodi alia, quae, recentiori aevo excogitata a religioſis hominibus, paſſim leguntur, aut ego fallor egregie, aut vetuſtioribus nunquam, & ne per ſomnium quidem, in mentem venerunt. Si quam vero veteres aliam, praeter modo indicatam, habuere anſam hoc nomine cognominandi Minervam: eam exhibuit, credo, opinio, qua, ut PORPHYRIVS (q) ſcribit, *καὶ ἰατρικὴν ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἥκειν*, *medicinam etiam a Minerva proficiſci*, in animum induxerant. Quae quamquam recentioris idololatrae auctoritate nititur: haud tamen antiqui-

 tatis

(l) *Commentariorum* Tom. III. p. 87.

(m) Vid. *Muſeum Farneſianum* T. IV. tab. 12. & 13.

(n) Conf. quae EZ. SPANHEMIVS *ad Callimachi hymn. in Pallad. lavacr.* v. 53. p. 590. ſq. de his Minervae officiis diſſeruit.

(o) Tom. I. Opp. p. 16. edit. Sam. Jebb.

(p) In *Timaeum* p. 51. citante SPANHEMIO *ad Callimach.* p. 609.

(q) Apud PROCLVM loc. cit. lib. I. p. 49.

tatis deſtituitur teſtimonio. Nam Periclem iam Minervae Ὑγιείᾳ ſignum aramque conſecraſſe in arce Athenienſium, PLVTARCHVS (r) refert. Et medicamina nonnulla, Ἀθηνᾶς & Σωτείρας Ἀθηνᾶς dicta nominibus, in Graecia olim Medicos habuiſſe, annotavit decus Iuliae noſtrae quondam maximum, IO. HENR. MEIBOMIVS (s). Quid, quod *Medica* diſerte appellatur in lapide Gruteriano (t):

MINERVAE. MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA. SAMMONIA
VERCELLENSIS. V. S. L. M.

Vnde etiam, eidem deae gratias agere ex incommoda valetudine recreatos, obſervamus paſſim; quemadmodum fit in ſequenti, ab ALDO MANVTIO (u) commemorata, inſcriptione:

MINERVAE
MEMORI
COELIA. IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS. INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

Et in veteri Graeca apud GISB. CVPERVM (x)

ΑΘΑΝΑΙΑΙ ΠΟΛΙΑΔΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΥΠΕΡ. ΤΗϹ. ΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟϹ
ϹΩΤΗΡΙΑΣ

§. X.

Ad minorem gentium deos Servatores iam pergeremus, niſi remoram nobis faceret DIANA. Bene multa enim in noſtram usque aetatem perdurant vetuſti aevi λείψανα, in quibus iſta, perpetua virginitate celebris dea, Servatricis titulo ſalutatur. Ita vetus marmor (y):

ΘΕΑ.

(r) In *Pericle* pag. 60.
(s) *Commentar. in jusiurandum Hippocratis* pag. 63.
(t) Pag. MLXVII. n. 3.
(u) *Orthograph.* p. 198.
(x) Comm. in *Apotheoſ. Hom.* p. 301.
(y) Apud IAN. GRVTERVM pag. XL. n. 10.

ΘΕΑ. ΕΠΙΚΟΩ
ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΑΥΛΙΔΙ. ϹΩΤΕΙΡΙ
ΑΥΡ ΕΛΠΙΝΕΙΚΗ.

Eam quoque videre mihi videor in Syracuſanorum numiſmate, (vid. num. 17.) apud HVB. GOLTZIVM (z) obvio. Ita opinanti non ſolum ſuffragium ferunt litterae ΣΩ, quae eo minus per Σωτείραν explicare dubito, quo acrius pro me propugnat eiusdem civitatis numus alius, LAVR. BEGERO (a) memoratus, in quo plene expreſſum illud nomen legitur; ſed habitus etiam, quo monetarius deam nobis contemplandam ſtitit. En! eam tenſo arcu iaculum iamiam eiaculaturam canemque in Syracuſanorum adverſarios incitantem. Quod enim ſupra iam de figura, qua ſolemne habuerunt antiqui in numis ſignare Deos Servatores, monuimus, eius maximum documentum exhibet Commodi numus (num. 18.) apud CAROL. PATINVM (b). Iovem ille nobis oſtendit, niſu maximo vim fulminis coruſcam in principis aggreſſores detorquendo commeritum DEFENSORIS SALVTIS AVG. cognomen, quod ab illo *Servatoris* nihil differre didici doctore HERODIANO, qui poſterioris ſenſum priore illuſtrat, ubi ſcribit (c), σωτῆρας καὶ προμάχους Ἰταλίας πάσης, *ſervatores defenſoresque Italiae totius*, appellatos eſſe Aquileienſes. A Syracuſiis quoque, ſed amiſſa libertate ſub Agathoclis dominatione violenta viventibus, flatum eſt, quod num. 19. producimus, numiſma (d), in cuius adverſa fulmen, tyrannidis inſigne, cum epigraphe ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ; in averſa vero Diana ΣΩΤΕΙΡΑ cum pharetra apparet. Quemadmodum autem non habebant Syracuſani, cur toties ſe inſolentiusque jactarent Diana Servatrice, quippe quae ſub Agathoclis iugo cultores ſuos gemere patiebatur: ita etiam alias tantum abfuit, ut pro huius civitatis ſalute Diana excubaverit, ut potius die feſto, in eius honorem acto, Syracuſae in Romano-

(z) In *Sicilia* Tab. V. n. 1.
(a) *Theſaur. Palat.* p. 215.
(b) In *Theſauro numiſmatum e Muſeo Car. Patini* p. 74.
(c) *Hiſtor.* lib. VIII. cap. 3. p. 339. edit. Boecleri.
(d) Vid. HVB. GOLTZIVS l. c. tab. XIV. n. 4.

rum poteſtatem venerint; quemadmodum ex fide priſcorum narrat HVB. GOLTZIVS (e). Venerabantur Graeco ſermone loquentes populi Dianam, hoc cognomine inſignem, ob hoſtes ipſius opera fuſos fugatosque, quod PAVSANIAS (f) exemplo Megarenſium, Perſis Graecia exturbatis, Ἀρτέμιδος Σωτείρας ἄγαλμα, *Dianae Servatricis ſtatuam*, dedicantium, comprobat. Quoniam vero Dianae nomen inter numina vialia apud EVERH. OTTONEM (g) & CHRIST. WEISIVM (h) legimus: ratio iam patet, qua inductus Theſeus, e Creta inſula redux, in Troezeniorum foro eidem Servatrici exſtruxerit templum, cuius memoriam, ad noſtra tempora propagatam, modo laudato PAVSANIAE (i) debemus. Huius numinis ſacra, e Graecia allata, in ſuam quoque urbem receperunt Romani: in quorum monumentis frequentiſſima eius deae iniicitur mentio. Nobis ſufficiat duo laudaſſe; lapidem nempe apud THOM. REINESIVM (k), hac inſcriptione notatum:

DIANAE SOSPITAE
L. SEPTIMIVS. L. F. TROM.
FELIX. VICTOR. SACERD.
MATR. D. M. I. ET. ATTINI
POP. ROM.
SVA. PECVNIA. DED.

Et numiſma Gallieni, quod principum Farneſianorum gazam olim ornavit (l), a nobis vero num. 20. delineatur. Signata inibi cerva, gratiſſima Dianae victima, ut mea quidem fert opinio, impetrare ſtuduit Imp., ut Diana, toties VICTRIX, immo INVICTA etiam appellata (m), pellere velit tyrannos atque ad internecionem delere.

§. XI.

(e) Loc. citat. p. 53.
(f) In *Atticis* cap. 40. p. 96.
(g) De *diis vialibus* cap. 6.
(h) In pereleganti de eodem argumento diſſert. poſteriori, Lipſ. 1725. habita, §. 10. ſqq.
(i) In *Corinthiac.* cap. XXXI. p. 183.
(k) In *Syntagm. inſcript. antiq.* pag. 240.
(l) Vid. Tom. IV. tab. 12. n. 13.
(m) Vid. IAN. GRVTERI *inſcript.* p. XLI. n. 3. & 10. IAC. SPONII *Miſc. erudit. antiqu.* p. 73. & 88. Conferatur quoque E. SPANHEMIVS *ad Callimach.* p. 130. ſqq.

§. XI.

Ex theologorum veterum diſciplina LVNAM inter atque Dianam nihil fuit diſcriminis. Quin potius ambas pro uno eodemque habitas numine, ſexcentis veterum locis comperimus. Oedipo proinde haud erit opus ad explicandum, quodnam numen, luna falcata deſignatum in numiſmate (vid. num. 21.), a Byzantiis dicatur ΒΥΖΑΝΤΙΝΗ Σωτειρα (n). Dianam, & eam quidem, quae Graecis Φωσφόριος, Latinis autem *Lucifera* audiit, eſſe, & mythologi confirmant, & aliud eiusdem civitatis numiſma, LAVR. BEGERO (o) laudatum, quod num. 22. depinximus, ita perſpicuum facit, ut oculis diiudicare poſſimus. Corniculatam enim ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ Lunam, quae in poſtica parte comparet, antica adumbrat Dianae, pharetram in humero geſtantis, imagine. Civitatis huius aes argentumque ſignatum recognoſcentibus tot in manus pervenerunt numi, lunulae figura conſpicui, ut fuerint, qui, typi huius innixi frequentia, ſtatuerent, tanquam ſignum debellatae atque ſub iugum ſervitutis miſſae gentis Byzantinae, ſemilunam hanc in Turcarum armis primum fuiſſe conſpectam. Diſceſſerunt in hanc ſententiam praeter AVG. GISLEN. BVSBEQVIVM, IVST. LIPSIVS (p) & FRANC. MENENIVS (q) quorum tamen rationes convellere &, ſi fieri poſſet, ſubruere PAVL. PATER (r) allaboravit. Neque trita aut proletaria vir lectionis eruditionisque multae huius opinionis fautoribus oppoſuit: ſed, argumenta, quibus militat, eius deprehendo commatis, ut ad probandum exquiſita iudicari nequeant. Nam cum maxime cauſſantem, in Romanorum quidem, non aeque vero in Byzantinorum numis lunam conſpici creſcentem, evidenter coarguit ſu-

(n) Mutuum ſumſimus illud a IO. TRISTANO *Commentar.* Tom. I. p. 415.

(o) *Theſaur. Brandenburg.* Tom. I. p. 487.

(p) Lib. I. epiſt. 16.

(q) In *delic. ordin. equeſtr.* p. 166.

(r) Peculiari ſchediaſmate non inelegRanti, quod Ienae, ſine anni tamen indicio, forma, vulgo quae dicitur quarta, excuſum eſt ſub hoc titulo: *Inſignia Turcica, ex variis ſuperſtitionum tenebris, orientalium maxime populorum, gemina disquiſitione Academica, in illuſtri Salana, nunc primum in lucem protracta. Ad ſummum virum Phil. Iac. Spenerum &c.*

ſupra commemorata huius civitatis numiſmatum biga, quam ſexcentis aliis facile foret augere, niſi ad veritatis probationem duos adduxiſſe ſufficeret teſtes. Cave autem haec ita interpreteris, ac ſi Lipſio adſtipularemur, quem potius cum reliquis, qui Lunae Turcicae natales in Byzantiorum quaerunt antiquitatibus, in errore putamus verſari. Hoc meridiano ſole clarius ex eo perlucet, quod Luna diu ante expugnatam Conſtantinopolin Turcarum iam fuit inſigne; qua de re dubitanti ut omnis eximatur ſcrupulus, ad firmiſſimum IAC. de VITRIACO (s) teſtimonium provocamus, ad A.C. 1218, diſerte ſcribentis: *Hanc eclipſin contra Saracenos interpretati ſumus quaſi praetendentem ipſorum defectum, qui* SIBI LVNAM ATTRIBVVNT. Quoniam ad hanc materiam nos deduxerunt Lunae Servatricis antiquitates: haud ingratum fore lectoribus, confidimus, heic ſtrictim expoſitum videre, quis noſter de Turcicorum inſignium origine ſit ſenſus. Olim inſidebat in animo, lunam illam falcatam ſervari a Muhammedanis in memoriam illius, ſi diis placet, miraculi, quo ille orientis impoſtor, lunam, de caelo detractam, aliquamdiu ſe in ſinu habuiſſe, rurſus dimiſſam vero in duas partes diviſiſſe, finxit in eo Corani capite (t), cui propterea القمر, i. e. *lunae*, fecit titulum, & pluribus narratur a IO. GAGNIERIO (u). Vbi vero ad hiſtoricorum fidem cogitationes haſce meas perpendere coepi, multo plura, quam laudatus paullo ante PAVL. PATER (x) animadvertit, reperi, quae in controverſiam eas adducere, immo etiam erroris poſſunt convincere. Rebus igitur probe ponderatis huius lunae natales cum IO. SELDENO (y) & IAC. LYDIO (z) ex antiquiſſimorum Arabum conſuetudinibus inveſtigaſſe mihi ſum viſus. Iſmaëlitas, quos maiores ſuos iactat Moſleminicae religionis auctor, in bello uſos eſſe lunulis, Zebachi & Tſalmunae exemplo diſcimus. His enim trucidatis Gideon (a) ויקח את־השהרנים אשר בצוארי גמליהם, *detraxit la-*

(s) *Hiſtor. Oriental.* lib. III. p. 1132.
(t) *Sura* LIV.
(u) In *vita Muhammedis*, Gallice conſcripta, Part. I. p. 176. ſqq.
(x) Sect. II. §. 24. p. 83.
(y) De *Diis Syris* p. 288. ima
(z) In *ſyntagmate ſacro de re militari*, lib. III. cap. 7. p. 86.
(a) *Iudic.* VIII, 21.

lunulas, quae in collibus Camelorum ipſorum. Vocabulum שהרנים ex eorum eſt genere, quae rarenter in ſacro codice leguntur; quorumque propterea ſenſus non adeo certus evictusque eſſe ſolet. Verum, interpretes recte eam verterunt per *lunulas*; ſiquidem ipſi Arabice loquentes populi ſuo سهاوم eandem ſignificationem ſubjiciunt. Equidem non dubito fore quosdam, qui obiiciant, quum Iſmaëlitas, religione ductos, Camelis appendiſſe lunulas, vero fiat ſimile: fundatum veritate minime videri, haſce vanitatis reliquiasMuhammedem toleraſſe atque in uſum adeo ſplendidum convertiſſe. Quanto enim ardore ad ſuperſtitiones funditus exſtirpandas incubuerit, inde intelligi, quod Thakifitarum precibus, ut idolum اللات, *Allat*, in triennium ne deſtrueretur, occurrere recuſans ſine mora illud deiiciendum curaverit (b). At, quod reſpondeamus, in promtu eſt. Vanas Arabum caerimonias dogmataque adeo noluit in univerſum abrogare veterator, ut potius earum multas adoptaverit atque in doctrinæ ſuae receperit corpus; quod evictum memini a DAV. MILLIO (c). Præterea uſus lunæ civilis ſ. militaris non parvulum differt a ſuperſtitioſo eiusdem abuſu: quorum hunc abolevit Muhammedes, illum vero ſervare iuſſit, ut eſſet creſcens luna ſymbolum imperii ſui, indies amplificandi; ſicuti etiamnum hodie, qui ipſius ſequuntur placita, nullum facile negotium ante lunæ novæ ortum auſpicari, obſervavit IO. FABRICIVS (d).

§. XII.

In minorum gentium diis, qui jam cum heroibus in ſcenam prodibunt, principem obtineat locum ille temulentiæ moderator, BACCHVS, quem Maronei ΣΩΤΗΡΑ ſuum celebrant in numo apud LAVR. BEGERVM (e); ipſa huius numinis effigie haud obſcure indicantes, ſe duplicem habuiſſe cauſſam, cur cognomine iſto Bacchum iudicarent dignum. Dextra porrigit uvam, (vid. n.23.) ut ſigni-

(b) Ita refert ABV'L FEDA *de vita rebusque geſtis Muhammedis* cap. LVII. p. 126. edit. Gagnierii.

(c) Diſſ. de *Mohammedaniſmo ante Mohammedem* §. 5. ſq.

(d) In *Specimine Arabico*. p. 21.

(e) *Theſaur. Palatin.* p. 265.

ſignificaretur, eius beneficio Maroneos cives adeptos eſſe vinum illud, per omnem antiquitatem celebratiſſimum, cuius jam laudes cecinit HOMERVS (f):

- - Ἀτὰρ αἴγεον ἀσκὸν ἔχον μέλανος ΟΙΝΟΙΟ
ἩΔΕΟΣ, ὅν μοι ἔδωκεν ΜΑΡΩΝ Ἐυάνθεος υἱός.
- - *Atque caprinum utrem habebam nigri* VINI
DVLCIS, *quod mihi dederat* MARON, *Euanthei filius.*

Et paucis interiectis ut rubrum ſuavemque, ſed fortiſſimum, illud deſcribit, multaque temperandum aqua:

Τὸν δ᾽ ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ΕΡΥΘΡΟΝ,
Ἓν δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀνὰ ΕΙΚΟΣΙ ΜΕΤΡΑ
ΧΕΥ᾽. ὀδμὴ δ᾽ ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ΟΔΩΔΕΙ,
Θεσπεσίη· τότ᾽ ἂν οὔτοι ἀποσχέσθαι φίλον ἦεν.
Hoc quoties biberent dulce inſtar mellis vinum rubrum,
Vnum poculum implens, aquae viginti menſuras
Infundebat: dulcis autem odor ab cratere ſpirabat,
Divinus: tum non abſtinuiſſe gratum erat.

Quod ad meri huius ſpectat fortitudinem, Homero aſſentitur PLINIVS (g), teſtatus *Mutianum, qui ſextarios ſingulos octogenis aquæ miſceri compererit præſens in eo tractu.* Quæ ex vetuſtiſſimis Græciæ ſcriptoribus, quos illi θεολόγους vocarunt, excerpta legimus apud ATHENAEVM (h) de Baccho, artis vinum aqua diluendi inventore, iis ad ſuſpicandum ducor, Maroneos non modo ob vitis inventionem, ſed propterea etiam, Bacchum dixiſſe Servatorem, quod merum ipſorum fortiſſimum aqua affuſa temperare ipſis oſtenderit, adeoque multum profuerit. Aliam eiusdem cognominis rationem, ego quidem ut ſentio, indicant ſagittæ, ſiniſtra manu quas Bacchum tenere conſpicimus, ab iis non diverſae, quarum mentionem iniicit EVRIPIDES (i) ita accinens:

Πυκνοῖς

(f) Odyſſ. ι. v. 196.

(g) *Hiſt. Nat.* lib. XIV. cap. 4. Conf. etiam ATHENAEVS *Deipnoſoph.* lib. I. p. 26.

(h) *Deipnoſoph.* lib. I. p. 26.

(i) In *Oeneo* apud ATHENAEVM lib. XV. p. 666.

Πυκνοῖς δ' ἔβαλλον Βακχίου ΤΟΞΕΥΜΑΣΙ
Κάρα γέροντος.
Crebris percuſſerunt Bacchi SAGITTIS
Caput ſenis.

Declarare, niſi fallor, his telis voluerunt Maroneae habitatores, ſe aliquando huius numinis auxilium in bello adverſus hoſtes, ipſorum regionem invadentes, expertos, atque hac ratione ex periculo ereptos ſaluti eſſe redditos. Aliam profecto non habuerunt Græci cauſſam, cur apud LYCOPHRONEM (k):

ΣΩΤΗΡΑ ΒΑΚΧΟΝ τῶν πάροιθε πημάτων
Σφάλτην.
SERVATOREM BACCHVM *priorum cladium*
Supplantatorem;

invocarent. Hoc enim cognomine appellatum eſſe Bacchum a Graecis, quod, quum infeſta ſigna in Myſiam inferrent, Thelephum regem, ipſos multis cladibus afficientem, in pugna cum Achille, vite ſupplantaverit; ipſis vero liberam Myſiae pervaſtandae fecerit poteſtatem, obſervant, qui in abſtruſi illius carminis interpretatione ſunt verſati. Eundem in finem arbitror Gallienum numiſma, quod num. 24. exhibemus (l), conſecraſſe LIBERO P. CONS. AVG. veluti.

Θυρσομανὴς Διόνυσος ΕΡΗΜΟΝΟΜΩΝ ϛίχα ΘΗΡΩΝ
Εἰς ΕΝΟΠΗΝ.
Thyrſo inſanus Bacchus in DESERTO PASTARVM *ordines* FERARVM (Pantheras)
In PVGNAM;

ut NONNVS (m) cecinit, adverſus tyrannos, quibus undique erat circumſeptus homo inſanus, concitaverit, atque remp. ab omni hoſtium metu latrocinioque liberaverit. Si vero mavis, principem, qui *vino & ſtupro perdidit terrarum orbem*, celebraſſe hoc cognomine vinolentiae praeſidem, quod ipſius opera adiutus, *muſtum, quemadmodum toto anno haberetur*, docuerit, ut eſt apud TREBEL.

E POL-

(k) In *Alexandra* v. 206.
(l) Vid. *Muſeum Farneſian.* Tom. IV. tab. 12. n. 12.
(m) *Dionyſiac.* lib. XXXVI. v. 165.

POLLIONEM (n): per me ita ſentire licebit. Multo mero ſeſe ingurgitare, quum non ſolum mentem gravatam reddat, ſed etiam ſaepius repetita crapula, in ebrioſitatem degenerans, ita corporis vires debilitet atque proſternat, ut medica arte vix queant reparari: neſcio, qui vetuſti orbis hominibus in mentem venire potuerit, Bacchum etiam, vini repertorem atque temulentiae praeſidem, ſedere in conſeſſu deorum, quibus valetudinem humanam curae eſſe cordique reputabant. Ita tamen ex Mneſitheo refert ATHENAEVS (o), Athenienſibus Pythiae reſponſo mandatum, ut Διόνυσον Ἰατρὸν, *Bacchum Medicum*, venerarentur. Narrabant quoque Amphicleenſes, auctore PAVSANIA (p), Liberum Patrem *μάντιν τε καὶ* ΒΟΗΘΟΝ ΝΟΣΩΝ *σφίσι καθεστηκέναι. τὰ μὲν δὴ νοσήματα αὐτοῖς καὶ τοῖς προσοικοῦσιν ἰᾶται δι' ὀνειράτων. Futura ipſis praedicere & MORBORVM FERRE REMEDIA; quod in ſomnis tam ipſi, quam finitimi de morborum medelis ab eo moneantur.* Atque ob hanc, quam valetudinis habere dicebatur, curam, Servatoris titulo Bacchum exornavit ſequentis apud EZ. SPANHEMIVM (q) inſcriptionis auctor:

LIBERO SERVATORI
SANCTO SACR.
L. IVNIVS LL. PAEDEROS
VOTO SVSCEPTO L. M
D. S. D. D. D.

DEDICATA III ID***
M. ANTONINO IMP. II.
ET VERO AVG. COS.

Eſt vero iſte Pauſaniae locus, qui, Bacchum in inſomniis de morborum medela certiores feciſſe homines, teſtatur, cum primis notandus, qvoniam docet, immerito IAN. GRVTERVM (r) aevi veteris non putaſſe lapidem Lindavii, in Helvetia, repertum atque hac notatum epigraphe: DIIS.

(n) De *duobus Gallienis* cap. 16.
(o) Lib. I. p. 22.
(p) In *Phocic.* cap. XXXIII. p. 884.
(q) In *probationibus notarum ad verſionem Gallicam Caeſarum Iuliani* p. 108. edit. Amſt. 1728. 4. Fallitur vero vir illuſtris, quum putat, ſe primum hanc inſcriptionem edidiſſe. Integrum enim decennium antequam ipſius modo commemoratum opus lucem adſpiceret, eam in lucem produxerat IAC. SPONIVS in *Miſcell. erud. antiq.* p. 43.
(r) Pag. LXVII. n. 8.

DIIS. MAXIMIS
BACCHO. ET. SOMNO
HVMANAE. VITAE
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIBVS
SACRVM.

§. XIII.

HERCVLEM quoque Servatorem cognominant innumera antiquitatis λείψανα, quorum aliquot in medium producere, noſtrum reputamus officium, qui huius argumenti abſolutiſſimam, ut fieri poterit, pertractationem ſumus polliciti. Primas in his partes merito ſibi poſtulat antiquitate & artis dexteritate conſpicuus Thaſiorum numus, ex medio modulo argenteus, & a nobis num. 25. repraeſentatus, cuius contrectandi habuimus facultatem, quum liber aditus daretur ad ditiſſimum cimeliarchium viri Magnificii, IO. ANDERSONII, quem eo maiori iure inter conſummatiſſimos noſtrae tempeſtatis eruditos referimus, quum ſummam viri maximi eruditionem ille ipſe livor, cui ſumma petere ſolemne eſt, honorificentiſſime laudare non detrectet. Operi autem admoturis manum, ut numiſmatis ſenſus, pro ingenii modulo a nobis inveſtigatus, lectori proponeretur, adferebatur perpolitum IO. HENR. SCHVLZII (s), medicae artis politiorumque litterarum periti, ut qui maxime, ſcriptum, in quo omnia Thaſiorum, quotquot nanciſci potuit, numiſmata, Herculis Soteris imagine ſignata, ſcite atque tanto eruditionis apparatu explicavit, ut, quod de reculis noſtris adderemus, vix inveniremus. Hoc tamen, ſi recte memini, eruditiſſimi Schulzii diligentiam eluſit, horum nempe numorum ope, in quibus ΘΑΣΙΩΝ conſtanter per ſimplex Σ ſcribitur, mendum poſſe abſtergi STEPHANO, Byzantino (t), apud quem mendoſe in hunc usque

diem

(s) *Commentationem de numis Thaſiorum praecipue illis, in quibus Hercules Soter conſpicitur ad illuſtrandum Iulium Pollucem lib. IX. cap. VI. ſegm. 84. eliciendis doctorum virorum ſententiis propoſuit* IO. HENR. SCHVLZE, *Medicinae, eloquentiae & antiquitatum in Academia Fridericiana Profeſſor.* Halae 1737. 4.

(t) Vocabulo Θάσσος.

diem legitur Θάσσος. Praeter Thaſios idem cognomen Herculi tribuerunt Stymphali oppidi, ad homonymum lacum in Arcadia ſiti, incolae; quemadmodum numus, ipſorum cuſus auctoritate, atque EZ. SPANHEMIO (u), veteris Graeciae pecuniam percenſiti, viſus, fidem facit. Meritam Herculi gratiam titulo illo honorifico perſolverunt Stymphalii, memores, aves illas, humana carne victitantes & alarum magnitudine radios ſolis obumbrantes, atque ipſis infeſtas, Herculem vel ſagittis confeciſſe, vel crepitaculorum abegiſſe ſtrepitu, ut DIODORVS, Siculus (x), PAVSANIAS (y), LVCRETIVS (z), CATVLLVS (a) aliique veterum complures narrant. Pergimus ad Romanorum, titulo Herculis Servatoris notata, monumenta, in quibus praecipue, quae heic legatur, dignam cenſemus veterem inſcriptionem ſequentem:

ΗΡΑΚΛΗ ΣΩΤΗΡΙ Π. ΙΟΥΝΙΟΣ ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΣ
ΑΥΓΟΥΕ ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Quibus vero beneficiis mactitatus eſt P. Iunius Ianuarius, Auguſti libertus (mendoſam enim ΑΥΓΟΥΕ vocem, Ez. Spanhemio, a quo mutuum ſumſimus hunc lapidem, (b) adſtipulati refingendam diviſimque legendam ΑΥΓ. ΑΠΕ. *Aug. Lib.* ſtatuimus), ut, de ſe meritum optime Herculem profeſſurus, ſui Servatorem diceret? Id aeque obſcurum arbitror, ac difficile eſt explicatu, qua re motus ΗΡΑΚΛΗ CΩΤ. Μ. ΙΟΥΛ. ΑΓΥΡΟC CΜΥΡ. *Herculi Servatori Marcus Iulius Agurus Smyrnaeorum* numum, cum Domitiani & Domitiae capitibus, apud IO. VAILLANTIVM (c), dedicaverit. Non perplexam contra, opinor, neque abſconditam interpretationem numiſmatis, num. 26. exhibiti, quod LAVR. BEGERO (d) referimus acceptum. Aut enim me fallunt omnia, aut hoc quoque numo, quemadmodum in multis aliis ſupra

(u) De *praeſtant. & uſu numiſmat.* Tom. I. p. 418.
(x) Lib. IV. cap. 13.
(y) In *Arcadicis* cap. XXII. p. 641.
(z) Lib. V. v. 31.
(a) *Ad Mallium* carm. LXIX. v. 112.
(b) In *probationibus notarum ad Iuliani Caeſares*, in Gallicum ſermonem ab ipſo translatos, p. 108.
(c) In *numiſm. Impp. &c. a populis, Romanae ditionis, Graece loquentibus, percuſſis* p. 26.
(d) *Theſaur. Brandeb.* T. II. p. 744.

ſupra vidimus, Gallienus advocare inſtituit Herculem, ut ipſi afflicto dextram porrigere tyrannosque ſubigere, atque hac ratione CONSERV. AVG. honores promereri ne gravaretur. Quamvis enim Herculem Servatoris appellatione indigetabant vetuſti homines, quod monſtris belluisque regiones complures perpurgaſſe eum credebant: cum primis tamen hoc cognomen ei, ut Tyrannorum everſori, vindicat DIO CHRYSOSTOMVS (e), nec non ARISTIDES (f); quorum hic, omnem Graeciam, immo totum humanum genus, ab iis, qui vi atque animi libidine dominabantur, liberaſſe Herculem ſcribit. Ob exactos Herculis opera tyrannos, Dionyſium, Timotheum & Lyſimachum, eiusdem numinis effigie numiſma (num. 27.), a NIC. FRANC. HAYMIO (g) editum, ſignaſſe ſentio Heraclienſes, non ita multo poſtquam in priſtinum libertatis ſeſe vindicaſſent ſtatum (h). Tyrannorum quidem, Timothei & Dionyſii, nomina, quae adſcripta oſtendit numus, huic noſtrae adverſari videntur ſententiae. Poſſet enim quis inde coniicere, horum hominum auctoritate eſſe factum numiſma. Verum, Hercules, non erecturo, quin multo potius trophaeum clava ſua deſtructuro, ſimillimus hoc argentum uti in Herculis honorem, ita in tyrannorum contemtum, flaſſe Heraclienſes, evidenter demonſtrat. Non ut monſtrorum modo, aut tyrannorum debellator collaudabatur olim Alcmenae filius: ſed etiam ut morborum, quibus multum hominum generis commoda impediuntur, averruncator, artisque ſalutaris peritus; quod multis teſtibus corroborat DAN. VINK (i). Atque hinc quoque paſſim in lapidibus ſalutatur Hercules Servatoris nomine, tunc in primis, quum ſolemnis illa formula EX VOTO additur. Iſtuc refero inſcriptiones binas, ex ſchedis Barberinianis a IAC. SPONIO (k) excerptas. Altera, quae Ardeae exſtat, talis eſt:

 HER-

(e) *Orat.* I. p. 17. citante SPANHEMIO de *uſu numiſm.* T. I. p. 419.
(f) *Orat. in Herculem* Tom. I. Opp. p. 32.
(g) In *Theſaur. Britannico* Tom. I. p. 133.
(h) Vid. PHOTIVS in *Bibliotheca* p. 713. ſq.
(i) *Amoenitatum medico-philologicarum* Sect. III. cap. 3. §. 2.
(k) *Miſcell. erudit. antiq.* Sect. II. p. 50.

HERCVLI SERVAT.
K. AEMILIVS K. F. QVIRINA
VARRIVS
ARCHITECTVS EXERCIT.
ET AEMILIA VESTIFICA
ET AEMIL.
VOTO SVS.

Altera vero, in tabula aerea Romae reperta, haec continet:

SIGN. HERC. SERVAT.
D. N. IMP. D. TRAIANI
AVG. FORTISSIM. PRIN
CIPI EX VOTO
L. IVLIVS FELIX. V. C. EVOK.
AVG. N. F. C.

§. XIV.

Quos ex furtivo cum Leda concubitu ſuſcepiſſe in fabulis eſt Iovem gemellos, CASTOREM & POLLVCEM; eos etiam, & ſecundum excellentiam quidem atque ob rationes complures, Σωτῆρας dictos, non exiguus monumentorum numerus edocet. Vnam harum ab ignominia, ipſorum opera a ſorore, Helena, propulſa, derivat EVRIPIDES. Vbi enim cecinerat (l):

Μόλοιτέ ποθ' ἵππειον ἅρμα	*Venite tandem equeſtri curru*
Δι' αἰθέρος ἱέμενοι,	*Per aerem vecti,*
Παῖδες Τυνδαρίδες,	*Filii Tyndari,*
Λαμπρῶν ἄστρων ὑπ' ἀέλλαισιν,	*Micantium aſtrorum ſub procellis,*
Οἳ ναίετ' οὐράνιοι,	*Qui habitatis in cœlo,*
ΣΩΤΗΡΕ ΤΑΣ ΈΛΕΝΑΣ.	SERVATORES HELENAE.

paucis interjectis pergit:

Δύσκλειαν ἀπὸ συγγόνου	*Infamiam a ſorore*
Βάλλετε βαρβάρων λεχέων.	*Repellite barbarici thalami.*

Evocantur hic Dioſcuri, ut, quemadmodum olim ſororem Theſeo eripuiſſent, ita etiam nunc eandem, a Proteo in Aegypto cuſtoditam, vellent reducere, ne in matrimonium ab homine barbaro du-

(l) In *Helena.* v. 1511.

ducta, generi ſuo turpitudinis inurat notam. Deinde, quum iidem gemini Theſeum una cum liberis in exilium eieciſſent, regnumque tradidiſſent Meneſtheo: Διὰ ταῦτα, ſunt AELIANI (m) verba, πρῶτος ὁ Μενεσθεὺς Ἀνακτάς τε, καὶ Σωτῆρας ὠνόμασε; *Has ob cauſſas primus Meneſtheus Reges & Servatores eos ſalutavit.* Praeterea Σωτήρων nomine digni cenſebantur a ſuperſtioſis, quod opem ab iis ſalutemque exſpectarent ſignis collatis juſto prœlio pugnaturi. Audiamus hac de re THEOCRITVM (n):

Ἀνθρώπων σωτῆρας ἐπὶ ΞΥΡΟΥ ἤδη ΕΟΝΤΩΝ,
Ἵππων θ' αἱματόεντα ταρασσομένων καθ' ὅμιλον.
Hominum Servatores in ACIE NOVACVLAE *jam* EXISTENTIVM
Et equorum turbatorum in cruento cœtu.

Hanc operam ſibi praeſtitiſſe aliquando Caſtorem & Pollucem, in eo nempe prœlio, quo cum Latinis eſt debellatum, Romani creduli fabulabantur. Non piget hanc hiſtoriam cum deſcribere DIONYSII, Halicarnaſſenſis, (o) ſtylo: Ἐν ταύτῃ λέγονται τῇ μάχῃ Ποστουμίῳ τὲ τῷ δικτάτωρι καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν τεταγμένοις ἱππεῖς δύο φανῆναι κάλλει τε καὶ μεγέθει μακρῷ κρείττους ὧν ἡ καθ' ἡμᾶς φύσις ἐκφέρει, ἐναρχόμενοι γεννειᾶν, ἡγούμενοί τε τῆς Ῥωμαϊκῆς ἵππου, καὶ τοὺς ὁμόσε χωροῦντας τῶν Λατίνων παίοντες τοῖς δόρασι, καὶ προτροπάδην ἐλαύνοντες. *In hoc prœlio dicuntur Poſtumio & eum ſtipantibus apparuiſſe duo equites, ſtatura & forma longe, quam noſtra fert natura, praeſtantiores, primae lanuginis juvenes, praecedentes Romanum equitatum, hoſtemque cominus congredientem haſtis ferientes, atque in fugam vertentes;* tum depictam ſiſtere in denario gentis Albinae (num. 28.), qui, CAROL. PATINO (p) cenſente, Poſtumium in aciem deſcenſurum Dioſcurisque ſtipatum adumbrat. Poſtremo cognomen hoc taxerunt ab eo, quod ipſis demandatum, munere in maris fluctibus periclitantes ſervandi: quod, ſexcenties ferme ab antiquis dictum, in praeſenti ſatis eſto probaſſe unico teſtimonio terſiſſimi LVCIANI, Mercurium, officia Caſtoris & Pollucis enarraturum, ita loquentem inducentis (q): Προσέτακ-

(m) *Hiſtor. Var.* lib. IV. cap. 5.
(n) *Idyll.* XXII. v. 6. ſeq.
(o) Lib. VI. p. 350. ima
(p) *Famil. Roman.* p. 231.
(q) In *Dialogis Deorum* Tom. III. Opp. p. 24.

ἐτακται αὐτοῖν ὑπηρεεῖν τῷ Ποσειδῶνι, καὶ καθιππεύειν δεῖ τὸ πέλαγος, καὶ ἄν που ναύτας χειμαζομένους ἴδωσιν, ἐπικαθίσαντες ἐπὶ τὸ πλοῖον, ΣΩΖΕΙΝ ΤΟΥΣ ΕΜΠΛΕΟΝΤΑΣ. *Iniunctum illis eſt, Neptuno ut ſubſerviant, & obequitare illos oportet pelagus; & ſicubi nautas tempeſtate periclitantes viderint, navigio inſidentes* SERVARE INCOLVMES NAVIGANTES Quis phraſeos Lucianeae ἐπικαθίζεν ἐπὶ τὸ πλοῖον, *inſidere navigio*, ſit ſenſus, indicat SENECA (r) his verbis: *In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellae, velo inſidentes. Adiuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis & Caſtoris numine* (s): nec inſcite adumbravit monetarius, qui numiſma (vid. num. 29.) ΦΩΚΑΙΕ. ΕΠ. C. ΑΥΡ. ΕΥΤΥΧΟΥC. Τ. Β. *Phocaeenſium ſub praetore Aurelio Eutyche* (t) flare juſſus, navis inibi expreſſit proram cum imminentibus duobus Dioſcurorum pileis totidemque ſtellis; ut nempe declararet mentem in Dioſcuros gratam civium ſuorum, quos fortaſſis naufragii periculo eripuerant, vel eripuiſſe credebantur. Hinc veteres, quum navem adſcendere vellent, vota faciebant his numinibus, ſeu fecit Soſtratus Cnidius in vetuſto marmore, quod STRABONE (u) & LVCIANO (x) commemoratum, merito Ledae gnatis vindicavit THOM. REINETIVS (y):

ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΛΕΞΙΦΑΝΟΥΣ
ΘΕΟΙC ΣΩΤΗΡΣΙΝ
ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ

Confecto autem itinere vota nuncupata ſolemni ritu ſolvebantur: cuius conſuetudinis probandae cauſſa teſtem producimus lapidem alium, quem exſcripſit IAC. PHIL. TOMASINVS (z): CASTO-

(r) *Quaeſtion. natur.* lib. I. cap. I.

(s) Etiamnum hodie nautae firmiter perſuaſum habent, duos ignes lambentes, in malo vel antennis apparentes, eſſe proſperi curſus praenuncios. Vocari illud phaenomenon a Gallis Hiſpaniſque *ignes S. Hermi*, aut *S. Telmi*; ab Italis vero *S. S. Petri & Nicolai*, obſervat IO. HARDVINVS *ad Plinii* lib. II. cap. 38.

(t) Exſtat numus inter CAROL. PATINI *numiſm. Imp. aerea* p. 5.

(u) *Geograph.* lib. XVII. p. 1141.

(x) de *Hiſtor. ſcribend.* Opp. Tom. II. p. 426.

(y) In *Syntagm. inſcript. antiq.* Claſ. I. n. 202.

(z) De *Donariis & votivis tabellis* cap. XXV. p. 179.

CASTORI. ET. POLLVCI
SACRVM
OB. FELICEM. IN. PATRIAM
REDITVM. TOT. SVPERATIS
NAVFRAGII. PERICVLIS
. . . . . EX. VOTO CVM
SOCIIS
L. M. P.
C. VALERIVS. C. F. AGELLVS

§. XV.

SERAPIDIS, numinis in Aegypto nati, antiquitates ſacraque dum ex vetuſtis commentariis conquirimus: illum quoque in Deorum Conſervatorum ordinem videmus recipiendum. Numus enim, quem optimi patris filius peſſimus veſanusque Imperator, Commodus, faciendum curavit cum ſtantis atque in capite calathum gerentis Serapidis imagine, additam habet epigraphen: SERAPIDI CONS. AVG. (vid. num. 30.) Si conſentanea veritati eſt ſententia, de huius numiſmatis interpretatione pronunciata a CAROL. PATINO (a): non Serapidem ipſum, ſed huius ſub effigie Commodum contemplamur. Verum, ne per errorem ſit lapſus Patinus, propterea non immerito vereor, quod, licet Commodum divinitatis affectaſſe conſtet honores, nusquam tamen legamus, quod pro Serapide ſe geſſerit. Magis igitur arrident, quae IO. VAILLANTIVS (b), feliciori uſus coniectura, ad iſtius numiſmatis explicationem attulit. Hic celeberrimus veteris pecuniae indagator ac interpres doctiſſimus Conſervatoris titulum, Serapidi datum, ſcite apteque ab auxilio derivat, quod principi, de valetudine aliquando ſollicito, dicebatur praeſtitiſſe. At, veriſſimam hanc opinionem dubia ſuffulcit ratione. TACITVM teſtatur, perhibentem, Serapidem a multis Aeſculapium fuiſſe exiſtimatum; qua vero de re apud Tacitum, ego quantum diligenti indagatione cognovi, nec vola reperitur nec veſtigium ullum. Rectius Vaillantianam expoſitionem confirmaveris officio medico, quo

F Sera-

(a) Vid. *Theſaurus numiſmatum e Muſeo* CAR. PATINI p. 74.

(b) Vid. eius *Numiſmata Impp. Rom praeſtantiora* Tom. II. p. 198.

Serapidem fungi, veteres aiebant. CICERO (c): *An Serapis poteſt nobis praeſcribere per ſomnium curationem valetudinis?* Spectat iſtuc quoque hiſtoria de generoſo Lenaei equo exoculato Serapidisque opera reſtituto, quam me legiſſe memini apud AELIANVM (d): nec non lapidum antiquorum biga, a IAN. GRVTERO (e) laudata. Alter haec legenda exhibet.

DEO
INVICTO
SERAPI
SERVATORI
D. IVNIVS. D. F. PAPIR
VAERGVLENVS
AENEATOR. LEG. VII
CL. GEM. P. FIDEL
NVMINI SVO. VOTO
SVSCEPTO. D. D.

Alter, Valentiae in Hiſpania repertus, ſequentem in fronte gerit inſcriptionem:

SERAPI
PRO SALVTE
HERENNI. SE
BIRI. C... ALLINT
VS. SER.

Quodnam vero periculum vitae fuit, ex quo imperatorem eripiendo ſplendidi iſtius tituli ornamentum promeruit numen medicum? Morbum fuiſſe, nude ſcribit Vaillantius: ego utique addendum cenſeo, peſtilentem. Imperante enim Commodo omnem Italiam, cum maxime vero Romam, peſtilentiae vis ingens depopulabatur. Ne igitur principis in diſcrimen adduceretur incolumitas, perſuadebant ipſi medicinam profitentes, ut ſui conſervandi gratia Laurentum, oppidum in regione frigidiori ſitum, ſecederet. Rei huius locupletiſſimus teſtis eſt HERODIANVS (f): *Συνέβη κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ* ΛΟΙΜΩΔΗ ΝΟΣΟΝ ΚΑΤΑΣΧΕΙΝ *τὴν Ἰταλίαν· μάλιστα δὲ τὸ πάθος τῇ Ῥωμαίων πόλει ἤκμασεν, ἅτε πολυανθρώπῳ τε οὔσῃ καὶ τοὺς πανταχόθεν ὑποδεχομένῃ. πολλή τέ τις φθορὰ ἐγένετο ὑποζυγίων*

(c) De *Divinatione* lib. II. c. 59.
(d) De *animalibus* lib. XI. cap. 31.
(e) Pag. LXXXV. 8 & 10.
(f) Lib. I. cap. 12. p. 37.

ων ἅμα καὶ ἀνθρώπων. Τότε ὁ ΚΟΜΜΟΔΟΣ, ΣΥΜΒΟΥΛΕΥΣΑΝΤΩΝ *αὐτῷ τινῶν* ΙΑΤΡΩΝ, *εἰς τὴν* ΛΑΥΡΕΝΤΟΝ ΑΝΕΧΩΡΗΣΕΝ. *εὐψυχέστερον γὰρ τὸ χωρίον, καὶ μεγίστοις κατάσκιον δαφνηφόροις ἄλσεσι κ. τ. λ. Eodem tempore contigit, ut* PESTILENS MORBVS *Italiam, cumprimis vero civitatem Romanam,* VASTARET, *quippe quae copioſa eſſet, & undique confluentes advenas exciperet. Magna igitur & iumentorum, & hominum, conſecuta eſt ſtrages. Tum* COMMODVS, *ex* MEDICORVM *quorundam* CONSILIO, LAVRENTVM CONCESSIT: *quod regio frigidior ſilvisque e lauru permultis ſit opaca &c.* Atque propoſitum iſtud vitae periculum a principis capite quum propulſaſſet Serapis: in gratam huius beneficii memoriam & numiſma, cuius interpretationem tentamus, flatum eſt, & marmora bene multa, hodieque obvia apud epigrammatum collectores, collocata ſunt dedicataque. Quid igitur eſt? poſthabitis diis patriis, & in his cum maxime Aeſculapio, ad morbos epidemicos averruncandos Romam deportato, ſalutem acceptam retulit imperator Romanus numini Aegyptio? Diu multumque haec cogitanti mihi viſum eſt huius conſilii rationem eſſe quaerendam in ridiculo cultu, quo Commodum Aegyptiaca idola proſecutum, narrant veteres. *Sacra Iſidis,* inquit LAMPRIDIVS (g), *ita coluit, ut & caput raderet, & Anubin portaret.* SPARTIANVS (h): *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de muſivo inter Commodi amiciſſimos videmus ſacra Iſidis ferentem: quibus Commodus adeo deditus fuit, ut & caput raderet, & Anubin portaret, & omnes pauſas expleret.* Ad eandem proinde Antoninorum peſſimam ſtirpem referenda erit ex noſtra ſententia ſequens inſcriptio Gruteriana (i); licet inibi nudum Antonini nomen, ceteris temporis iniuria exeſis, legamus. Tanto autem lubentius eam adſcribimus, quoniam nos docet, ISIDEM in Servatorum deorum catalogo non eſſe negligendam:

ΕΙϹΙΔΙ ΦΑΡΙΑ .....
ΕΙϹΙΝ ΤΗΝ

 EN

(g) In *Commodo* cap. 9.
(h) In *Peſcennio Nigro* cap. 6.
(i) Pag. LXXXV. 1.

ΕΝ ΜΕΝΟΥΘΙ
ΥΠΕΡ CΩΤΗΡΙΑC
ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΗΜΩΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ
. . . .
. . . .

Idem poſtulat quoque lapis alius apud GISB. CVPERVM (k):

I. S. I. P. D. M.
ISIDI. SALVTARI
PRO. SALVTE. Q. VERGILI
MODESTI. CASSIA. MAT.
V. S. D.

Dictam autem hoc nomine Iſidem, quod pro medicinae Dea fuerit habita, quae aegrotos per ſomnium de remediis certiores faceret, obſervat DAN. VINK (l), cuius expilare nihil attinet ſcrinia.

§. XVI.

AESCVLAPIVM, de caelo percuſſum, interiiſſe aliquando, fugit neminem, qui in poetis evolvendis temporis non nihil conſumſit. Quamvis autem pro ſua ipſius incolumitate excubare numen illud Medicorum nequivit: nihilominus tamen a gentibus, ſuperſtitionis caligine circumfuſis, in Servatorum ordinem receptus adeo frequenter tam in libris, quam in numiſmatibus lapidibusque huius tituli ſplendore fulget, ut ceteris diis palmam propemodum faciat dubiam. Apud OVIDIVM (m) Ocyroë infantem Aſclepium affatur:

- - - - *Totique* SALVTIFER *orbi.*

Non erat, quare IAN. GEBHARDVS (n), ſecutus lectionem, in Palatini codicis margine notatam, *orbi* in *urbi* refingeret. Neque enim inuſitata haec Aeſculapii appellatio; quippe eum IVLIANVS (o), Σωτῆρα τῶν ὅλων, *univerſi huius Soſpitatorem*; ARISTIDIS autem (p),

(k) *Apotheoſ. Homer.* p. 302.
(l) *Amoenitat. philologico-medic.* Sect. I. cap. 5. p. 63. & cap. VI. p. 76.
(m) *Metamorph.* lib. II. v. 642.
(n) *Crepundiorum* lib. II. cap. 5.
(o) *Orat.* IV. p. 153.

(p), *σώζοντα τά τε ὄντα ἀεὶ καὶ τὰ γιγνόμενα; omnium, quae ſunt & fiunt, perpetuum conſervatorem*, nuncupavit. Accedit, quod emendationis Gebhardianae firmamentum, ſimulac ipſum inſpicimus Ovidium, corruit. Opinabatur vir doctus, poetam h. l. hiſtoriam de Aeſculapio, Romam ſerpentis ſpecie advecto, enarrare. Sed falſo. Sermo potius ibi eſt Ovidio de auxilio, quod de hoc deo toti hominum generi pollicebatur Chironis gnata. Quum vero idem Sulmonenſis vates alibi (q) canit:

- - - *Venitque* SALVTIFER *urbi*;

PETR. BVRMANNVS, criticorum hoc aevo facile princeps, nihil immutandum iure decrevit meritoque, licet novem MSS *orbi* haberent. Hac enim fabula demum agitur de Aeſculapio, ad pellendam urbe peſtilentiam Romam accito. Salutiferum hunc Aeſculapium prae ceteris ſumma religione coluerunt Epidauri, urbis Argolidis in Peloponneſo olim celeberrimae, habitatores; ſicuti magna teſtium caterva, quam autem in medium producere ſuperſedemus, nec non huius civitatis probant numi, quorum unum, Dracone cum epigraphe CΩTHPOC inſignitum, laudare memini EZ. SPANHEMIVM (r). Frequenter quoque idem typus, eademque inſcriptio in Coorum moneta apud HVB. GOLTZIVM comparet (s). Vti vero haec perinde ac trigam Antonini Pii numiſmatum, IO. VAILLANTIO (t) commemoratam, in qua Nicaeenſes Aeſculapium ſuum CΩTHPA appellitant, ſicco pede praetereo: ita appoſitum num. 31. eorundem Coorum numum, quem IO. TRISTANVS (u) edidit, chalcographum ſtylo mendoſe deſcripſiſſe, ſentio. Conſpicamur inibi praeter virgam, ſerpente circumvolutam, bellicum inſtrumentum, clavam, addita epigraphe: KΩIΩN ʒΩΣΘ. Qui, Herculis haec eſſe & Aeſculapii ſymbola norunt, atque in memoriam ſibi revocant, Coos ab Hercule originem ſuam derivaſſe, atque maximopere ſem-

 per

(p) *Orat. in Aeſculapium* Tom. I. Opp. p. 37.
(q) *Metam.* lib. XV. v. 744.
(r) De *praeſt. & uſu numiſm.* Tom. I. p. 417.
(s) Inter *numiſmata inſularum Graeciae* tab. XX.
(t) In *Numiſm. Impp. a populis, Graece loquentibus, percuſſ.* p. 44.
(u) Tom. I. p. 168.

per ſe iactaſſe Aeſculapio, Σωτῆρος cognomine appellato: eos habebimus ſubſcriptores noſtrae coniecturae, male ſanam inſcriptionem ita eſſe legendam, ΚΩΙΩΝ ΣΩΤ. i. e. σωτῆρες, ut Hercules & Aeſculapius intelligantur. Sed haec diiudicanda relinquo, quibus ipſum numum inſpiciendi conceditur facultas, iam in medium producturus, quae ad Aeſculapium Servatorem ſpectant marmora. Graecum ſequentem ex opere Gruteriano (x) exſcribo:

ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΘΕΩ
CΩΤΗΡΙ
Λ. ΜΙΝΙΚΙΟC. ΝΑΤΑΛΙΟΣ
ΥΠΑΤΟC ΑΝΘΥΠΑΤΟC ΛΙΒΥΗC
ΑΥΓΟΥΡ ΠΡΕCΒΕΥΤΗC ΚΑΙ
ΑΝΤΙCΤΡΑΤΗΓΟC CΕΒΑCΤΟΥ
ΜΥCΙΑC ΤΗC ΚΑΤΩ
ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΒΩΜΟΝ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Graeco comitem dare licebit Latinum, quod IAC. SPONIVS (y) habet:

AESCVLAPIO. SERVAT.
SACRVM
M. AVRELIVS. FAVSTVS
BASSVS
ET AVRELIA SALVIA
BASSIANA
V. S. L. M.

Hactenus ad fidem veterum monumentorum de iſta Aeſculapii appellatione diſputata uti abunde docent, iſtud numen κατ' ἐξοχὴν ita olim nuncupatum: ita etiam patefaciunt, quare ſolemnitates religioſas, in ipſius honorem celebratas, indicaverint veteres Σωτηρίων nomine, quorum antiquitates pro more ſuo, i. e. erudite, EZECH. SPANHEMIVS (z) eruit. Traxit autem Aeſculapius Servatoris cognomen ab arte, quam profitebatur, medica, qua non poterat non toti hominum generi ſalutifer videri. Equidem hoc de argumento quae copioſe diſſeruit ſaepe iam

(x) Pag. LXIX. num. 8.

(y) *Miſcell. erudit. antiq.* Sect. III. p. 117.

(z) *Epiſt. I. ad Andr. Morellium.* Vid. CHRIST. SIGM. LIEBE *Gotha numaria* p. 462. ſqq.

iam commemoratus DAN. VINKIVS (a), repetere ſupervacaneum arbitratus tantum obſervo, Deos Medicos proprie potuiſſe a gentilibus appellari Σωτῆρες; quandoquidem τῷ σώζειν eam ſaepius capit ſignificationem, ut ſit *morbo liberare;* quod, dudum ANVT. FOESIO (b) annotatum, ARISTIDES (c) ſuo ſuffragio firmat, quum in Aſclepiadarum (ita antiquiſſimos medicos dictos, quis eſt, qui neſcit?) laudes excurrens, *ὀυ μόνον*, inquit, *τὰς τοῦ σώματος νόσους ἐξαιρεῦντες, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν πόλεων νοσήματα ἰώμενοι. μᾶλλον δὲ ὀυδ᾽ ἐγγίνεσθαι τὴν ἀρχὴν ἐῶντες, ἀπ᾽ ἀμφοῖν* ΣΩΖΟΝΤΕΣ *τοὺς ὑπηκόους. Non corporis modo morbos depellunt, ſed civitatum quoque aegritudinem ſanant, aut potius oriri omnino prohibent, ab utroque morbo cives ſuos* LIBERANTES. Quum vero *τὸ σώζειν* hanc ſubiectam habet poteſtatem, elliptice poni arbitror, ſubaudiendumque *Φαρμάκοις*. Plenum ſermonem obſervamus in inſcriptione veteri apud IAC. SPONIVM (d):

Θ. Κ.
ΣΤΗΛΗΝ ΕΘΗΚΑΝ
ΝΙΚΟΜΗΔΕΙ ΣΥΓΓΕ
ΝΕΙC ΟC ΗΝ ΑΡΙCΤΟC
ΙΗΤΡΟC ΕΝ ΖΩΟΙC
ΟΥ ΗΝ ΠΟΛΛΟΥC ΤΕ
CωCΑC ΦΑΡΜΑ
ΚΟΙC ΑΝωΔΥΝΟΙC
ΑΝωΔΥΝΟΝ ΤΟ Cω
ΜΑ ΝΥΝ ΕΧΕΙ ΘΑΝωΝ
ΕΥΨΥΧω ΝΙΚΟΜΗΔΗC
ΟCΤΙC ΟΥΚ ΗΜΗΝ ΚΑΙ ΕΓΕΝΟ
ΜΗΝ ΟΥΚ ΕΙΜΙ ΚΑΙ ΟΥ ΛΥ
ΠΟΥΜΑΙ ΖΗCΑC ΕΤΗ ΜΔ
ΚΑΙ ΗΜΕΡΑC ΚΓ

Prae-

(a) Loc. cit. Sect. I. cap. I. p. 24. ſqq.
(b) In *Oeconom. Hippocr.* p. 609.
(c) Tom. I. Opp. p. 45.
(d) *Miſc. erud. antiq.* Sect. IV. p. 131.

Praeterea, σωτέιϱαν ſubinde denotare medicinam, diſerte indicat HESYCHIVS, dum Σώτειραν, κατὰ Γαληνὸν ἀντίδοτόν τινα, *ſecundum Galenum aliquod antidotum*, interpretatur. Denique Medici ipſi σωτῆϱες audiunt paſſim apud veteres. Hippocrates apud PHILEN (e):

Ω ΣΩΤΕΡ ὀκνεῖς, καὶ τριβὴν ζητεῖς χρόνου.

O SERVATOR *cunctaris & moram nectis.*

Aſclepiadas ita dixit ARISTIDES (f): Ἐκ προγόνων τὲ καὶ ἐκ γόνων ΣΩΤΗΡΕΣ ἀθάνατοι; *Et per poſteros & per maiores aeterni* SERVATORES. Panacium ARISTAENETVS (g): Ὁ πατὴϱ καὶ πάντες οἱ λοιποὶ ΣΩΤΗΡΑ τὸν ἄνδρα πϱοσεῖπον. *Pater atque ceteri* SERVATOREM *eum virum vocabant.* Ter quoque eodem nomine medicum, ad pellendos pedum dolores accitum, appellat LVCIANVS (h).

§. XVII.

Ob operam quoque, quam mortalibus, vires eorum, ex morbis convaleſcentium, refocillando, navare ferebatur perpetuus ferme Aeſculapii in antiquitatis reliquiis comes TELESPHORVS, eum Servatorum deorum agmini immiſcuerunt ſuperſtitionis antiſtites. Per errorem qui lapſum haud credunt LEON. AVGVSTINVM (i), quum ſtatueret, in ſculptura antiqua, quam num. 32 depictam cernunt L. B., pro CYZETE ME legendum eſſe CΩZETE ME, ut ſit formula illa ſolemnis, qua ab his numinibus ſanitatem impetrare ſtudebant veteres: concedent etiam, vel hac gemma Theleſphori Servatoris officium commode poſſe demonſtrari. Equidem, verbis, infra adſcriptis, rogaſſe ſculpturae auctorem medica iſta numina, ut ſibi, valetudinis genere tentato, afferre velint remedii conſolationes, nequaquam inverim inficias. Verum, qui Auguſtino, lectionem ſollicitanti & CΩZETE pro CYZETE reponenti, aſſentiar, ullo modo a me impetrare nequeo; praecipue, quum & nulla ratio emendationis adſit, & verba, ut ſunt ſcripta, ſenſum fundant ce-

(e) De *animalium proprietate* carm. LXVI. v. 39.

(f) Loc. cit. p. 44.

(g) Lib. I. ep. 13. p. 92. edit. de Pauw.

(h) In *Ocyp.* Tom. III. Opp. p. 733, 734. & 737.

(i) In *gemmis antiquis* Part. II. num. 12.

ceteris ſcalpro effictis figuris congruentem. Explico CYZETE ME, *Fomenta adhibete mihi.* Eſt enim a συζέω, *calefacio, fomento*; tantae raritatis dictione, ut diligentiſſimus Graeci ſermonis inveſtigator HENR. STEPHANVS (k) eam non niſi ſemel in libris, ad noſtra usque tempora ſuperſtitibus, apud DIOSCORIDEM nempe, invenerit. Ex mea enim ſententia, gemmae auctor, febri iactatus, qui ipſum benignis fotibus recreare ne gravarentur, a medicis numinibus petiit. Firmamenti plurimum huic explicationi facit corona illa laurea, ſuperne apparens. Lauro certe vim ineſſe calorificam, DIOSCORIDES (l) obſervat; cui adſtipulatus PLINIVS (m) illud quoque addit, quod ad coniecturam noſtram probandam apprime facit, dum ſcribit: *Si febris ſit, ex aqua, aut ecligmate ex aqua mulſa, aut ex paſſo decoctae* lauri baccae ſanant. Vt ut autem haec ſunt: tamen puſio ille, bardocucullo indutus, Σωτῆρος titulo gaudet in Antonini Pii numo, Nicaeenſium auctoritate cuſo, qui num. 33. a nobis delineatus conſpicitur; modo literas, vetuſtate detritas, recte reſtituit IO. TRISTANVS (n), dum inſcriptionem C--- AKE.... NIKAIEIC, ita legere praecipit: CΩTHPI AKECIΩ NIKAIEIC; *Servatori Aceſio Nicaeenſes.* Scite vero lacunam hac ratione expleviſſe virum doctum, clare evincitur cum expreſſa inibi Teleſphori imagine, tum inde, quod ab Aceſio minime diverſus ille convaleſcentium Deus, quippe quem, antiquiſſimis temporibus Euamerionem appellatum, poſtea Pergameni, ab oraculo moniti, Teleſphorum, Epidaurii autem Aceſium dixerunt. Prodidit haec memoriae PAVSANIAS (o): Ἐι ὀρθῶς εἰκάζω, τὸν Ἐυαμερίωνα τοῦτον Περγαμηνοὶ Τελεσφόρον ἐκ μαντεύματος, Ἐπιδαύριοι δὲ ΑΚΕΣΙΟΝ ὀνομάζουσι. *Recte ſi coniicio, hunc Euamerionem Pergameni ex oraculi iuſſu Teleſphorum, Epidaurii autem* ACESIVM *nominarunt;* nempe ἀπὸ τοῦ ἀκεῖσθαι, a ſanandi facultate, qua eum praeditum rebantur veteres. Neque modo ſaneſcentium ille patronus quum Aceſius audit, ſed etiam uſitatiori Teleſphori nomine appellatus

 Ser-

(k) In *indice ad theſaurum linguae Graec.*

(l) Lib. I. cap. 107.

(m) *Hiſt. Nat.* Lib. XXIII. cap. 8.

(n) Tom. I. p. 599.

(o) In *Corinthiac.* cap. XI. p. 137.

Servatoris honore decoratur; ſicuti factum videmus in lapide ſequenti, quem, a IAN. GRVTERO (p) publici iuris factum, apponimus:

ΑΣΚΛΗΠΙΩ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩ
ΥΓΕΙΑ
ΤΕΛΕΣΦΟΡΙΩΝΙ
ΘΕΟΙΣ
ΣΩΤΗΡΣΙ
ΠΟΛΙΣ

Quoniam & ſculptura Auguſtiniana, & marmor Pergamenum, & aliae vetuſti aevi reliquiae complures Theleſphoro atque Aeſculapio, huius gnatam, HYGEAM, comitem adiungunt: peropportunus hic eſſet locus, ea proferre in medium, quae de huius ſanitatis deae, itidem Servatricis titulo nuncupatae, antiquitatibus paſſim in monumentis occurrunt; niſi otium nobis feciſſent triumviri, ad litteratorum rempublicam amplificandam nati, CLAVD. GROSEVS de BOZE (q), POLYC. LEYSERVS (r) & GVIL. MVSGRAVE (s), qui eo eruditionis apparatu curate de hac priſtinae ſuperſtitionis particula expoſuerunt, ut, quid adiiciam eorum theſauris, vix ac ne vix quidem in reculis meis inveniam. Pauca tantum, quae Gallieni numum (vid. num. 34.) intentis oculis contemplanti mihi in mentem venerunt, eum modo in finem proferam, ut Hygeae Servatricis nomen in Servatorum Deorum catalogo noſtro fruſtra ne quaeratur. Hygeam ſtantem atque ſerpentem ex patera paſcentem, cum epigraphe: OB CONSERVATIONEM SALVTIS, numiſma oſtendit; quem typum longe doctiſſimus eius editor, CLAVD. GROS. de BOZE (t), iure meritoque ſingularem exiſtimavit. Quid rei enim cum Salutis

(p) Pag. MLXXIII. n. 5.

(q) In diſſ. de *cultu, quo Salutem Deam proſecuti ſunt veteres*, quam Gallice Pariſ. 1705. 8. editam Latine verſam exhibet CHRISTOPH. WOLTERECK in *electis rei numariae* p. 23. ſqq.

(r) Progr. de *Salute Auguſti ex numis*, Helmſt. 1723. 4.

(s) Hic Medicinae Doctor apud Anglos celebratiſſimus in diſſ. *de Dea Salute, huius ſymbola, templa, ſtatuas, numos, inſcriptiones exhibuit, illuſtravit.* Oxonii 1716. 4.

(t) Loc. cit. p. 35.

lutis numine fuit Imperatorum perditiſſimo, cuius, ut cum TERENTIO (u) loquar,

- - - - *ipſa, ſi cupiiſſet, Salus*
Servare prorſus non potuiſſet familiam?

Num fortaſſis hanc quoque deam ſibi in debellandis tyrannis eſſe opitulatam, hoc numo teſtatum facere voluit homo ineptus; quemadmodum ſupra eodem conſilio Apollinem, Dianam, Bacchum aliosque deos laudantem audivimus? Non inſcite, ego ſi quid recte iudico, in eam partem exponeretur numus. Gloriatio enim de rebus proſpere geſtis uſitiſſima fuit Gallieno, qui ipſe PACEM PVBLICAM, PACEM FVNDATAM, PACEM AETERNAM in numis crepat, (x) ab aliis MAGNVS ET INVICTVS GALLIENVS atque PACATOR ORBIS (y) appellatus, licet bacchando deſidendoque rem Romanam ferme omnem perdidiſſet. Praeterea, non modo ut ſanitatis praeſidem cultam perhibent Hygeam veteres, ſed etiam ſalutem populi Romani publicam ex mente eorundem curaſſe, argumento eſt ſolemne illud Salutis augurium, a DIONE CASSIO (z) Ὑγείας οἰώνισμα vocatum, quod ſingulis annis, & ea quidem die capere oportebat Romanos, ad quam nullus exercitus in bellum profectus, nullus ab hoſte in aciem productus, aut proelium unquam commiſſum. (*) Quid, quod Gallienum hocce divinationis uſum genere, quum a tyrannis exagitaretur, reputat ISAAC. CASAVBONVS, in haec TREB. POLLIONIS (a): *Pax igitur deûm quaeſita, inſpectis Sibyllae libris, factumque Iovi ſalutari, ut praeceptum fuerat, ſacrificium;* ita commentatus: „Intelligit Iovem ὑγιείας προστάτην: nam ὑγιεία eſt ſalus; & *ſalutis* „*augurium*, quod Romae celebrari ſolitum, Dioni dicitur Ὑγείας „οἰώνισμα.„

(u) In *Adelph.* Actor. IV. Scen. 7. v. 44.

(x) Vid. P. L. L. VALLEMONTII *expoſitionem numi, in quo caput Gallieni cernitur cum hac inſcriptione* Gallienae Auguſtae; apud CHRIST. WOLTERECK l. c. p. 185.

(y) Conf. HVB. GOLTZIVS in *Theſauro rei antiquariae.*

(*) Vide perelegantem de *Salutis augurio apud Romanos* orationem doctiſſimi PETR. ZORNII in eius *opuſculis ſacris* Tom. II. p. 38.

(a) De *duobus Gallienis* cap. 5.

§. XVIII.

PROSERPINAE, quae iam in ſcenam prodit, templum, contra Veneris Olympiae aedem exſtructum, dedicaverunt Lacedaemonii, in quo, ex inſtituto vel Orphei, Thracis, vel Abaris, Hyperborei, Σωτέιρας cognomine adoraretur; quemadmodum legimus relatum apud PAVSANIAM (b). Idem Graeciae veteris mira accuratione conſpicuus deſcriptor, Arcades quoque Proſerpinae Servatricis ſignum, quindecim ferme pedes altum, auguſte ſanċteque veneratos eſſe, alio loco tradit (c). Eiusdem cultui deditiſſima quoque olim fuit civitas Cyzicena; quod probant numi, magno numero in variis cimeliarchiis obvii. Inprimis, quod h. l. memoretur, dignum arbitramur moduli bene magni numiſma, num. 35. repraeſentatum, quod cum aliis populorum Graece loquentium numis, liberalitate Viri Venerabilis CAROLI GRANELLII, qui Wilhelminae Amaliae, Auguſtae, a ſacris eſt, adiutus ab interitu liberavit ERASM. FROELICHIVS (e), cuius in nos favorem plane egregium ſtudiaque noſtra numiſmatica promovendi ardorem ingrati eſſemus, niſi publica eaque honorificentiſſima proſequeremur laudatione. In parte antica circa caput muliebre, ſpicis unionibusque ornatum, legitur epigraphe: ΚΟΡΗ ϹΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΚΟΡΗΣ vocabulo indicari Plutonis coniugem, tam corona ſpicea, Proſerpinae ſymbolum, quam teſtes bene multi, ARISTOPHANES (f) nempe, PAVSANIAS (g), SVIDAS (h) aliique, Proſerpinam κόρην nuncupantes, evincunt. Inprimis vero Cyzicenos hoc nomine inferorum reginam coluiſſe, uno ore veteres affirmant, licet appellationis huius rationem in obſcuro reliquant, opinionum diſſenſione facta in alia omnia diſcedentes. Nonnulli enim, qui fidem adiungere non dubitant Agathocli, cuius verba haec recitat STEPHANVS, Byzantinus (i): Ὅτι Βέσβικος κτίσμά ἐστι Φερσεφόνης, καὶ ὄνομα ἔχει γίγαντος· οἱ

(b) In *Laconicis* cap. XIII. p. 238.
(c) In *Arcadic.* cap. XXXI. p. 664.
(e) In *Appendicula ad Vaillantii numos Impp. ab urbibus Graece loquentibus cuſos* Viennae Auſtriae 1734. 8. p. 38.
(f) In *Ranis* v. 340.
(g) In *Arcadicis* cap. XXXVII. p. 677.
(h) Voce Κόρη.
(i) In Βέσβικος.

οἱ γὰρ γίγαντες ἀπορρήξαντες αἰγιαλοὺς, ἐκύλιον διὰ τῆς θαλάσσης, ἐγχῶσαι τὰς ἐκβολὰς τοῦ Ῥυνδακοῦ ζητοῦντες. ἡ δὲ Κόρη ἀγωνιῶσα περὶ Κυζίκȣ τὰς πέτρας ἐῤῥίζωσε, καὶ νῆσον ἐποίησε. Beſbicum eſt opus Proſerpinae, & gigantis nomen habet. Gigantes enim, oras maritimas intercidentes, eas per mare devolvebant, hoc modo Rhyndaci oſtia implere conantes. Proſerpina autem, de Cyzico anxia, petras ſtabilivit inſulamque fecit; Proſerpinam Servatricem ſuam ſalutaſſe Cyzicenos aiunt, quod oſtia Rhyndaci, Cyzici urbis moenia alluentis, libera faciendo ipſos, inundatione alias perituros, conſervaverit. Alii contra, quibus haec fabulae videntur ſimiliora quam veritati, ita cognominatam contendunt Proſerpinam, quod Cyzicenis, a Mithridatis exercitu obſeſſis, ſingulari ſigno declaraverit, curae ſibi eſſe cordique eorum ſalutem. Ne quid vero temere videantur dixiſſe, provocant ad APPIANI teſtimonium (k): *Λέγεται ἡ πόλις ἐμπροίκιον ὑπὸ Διὸς τῇ Κόρῃ δοθῆναι· καὶ σέβουσιν αὐτὴν οἱ Κυζικηνοὶ μάλιστα θεῶν. ἐπελθούσης δὲ τῆς ἑορτῆς ἐν ᾗ θύουσι βοῦν μέλαιναν, οἱ μὲν οὐκ ἔχοντες, ἔπλαττον ἀπὸ σίτου. μέλαινα δὲ βοῦς ἐκ πελάγους πρὸς αὐτοὺς διενήχετο, καὶ τὸ κλεῖθρον τοῦ στόματος ὑποδῦσά τε, καὶ ἐς τὴν πόλιν ἐσδραμοῦσα, ὥδευσεν ἀφ᾽ ἑαυτῆς ἐς τὸ ἱερον, καὶ τοῖς βωμοῖς παρέστη. ταύτην μὲν οὖν, οἱ Κυζικηνοὶ μετὰ χρηστῆς ἐλπίδος ἔθυον. Fertur, hanc urbem in dotem a Iove datam Proſerpinae, quam Cyziceni venerantur prae omnibus numinibus: cuius ſolemni redeunte, in quo atram bovem immolant, illi nullam talem habentes e piſta finxerunt hoſtiam: interim atra bos ex alto ad eos pernatavit, & in ore portus clauſtra ſub aquis evaſit, atque ita per mediam urbem curſu ad deae templum delata ante aram conſtitit: hanc Cyziceni egregia ſpe concepta immolarunt.* Atque horum me haud pœnitet eſſe ſententiae; in primis, quum graviſſimi hiſtorici auctoritate innitatur: Effinxiſſe in hoc aere ſuo Cyzicenos Fauſtinam iuniorem ſpecie Proſerpinae, ERASM. FROELICHIVS veritati convenienter quidem pronunciat. Verum, de eruenda huius conſilii ratione vir rarae doctrinae haud fuit ſollicitus. Niſi fallor, in eo eſt ſita, quod Fauſtinae precibus adductus Cyzicenorum oppidum, nec non Proſerpinae templum, Antonini Pii temporibus, referente XIPHILINO

(k) De *bellis Mithridat.* pag. 371. edit. Tollii.

LINO (l), terrae motu ſuccuſſum proſtratumque, ſuo ſumtu reſtaurandum curaverit Antoninus Philoſophus. Neque crediderim hanc coniecturam reiecturos, quibus vacat ARISTIDIS legere orationem panegyricam, in feriis dedicationis templi Proſerpinae habitam, qua laudat huius Antonini erga Cyzicenos munificentiam (m); atque diſcere a IVL. CAPITOLINO (n), quantum indulſerit Antoninus Fauſtinae ſuae, quantumque ipſius precibus conceſſerit. Plane ſingularis eſt ratio, qua impulſus Proſerpinam dixit Servatricem C. Vettius Silvinus in lapide vetuſto apud IAN. GRVTERVM (o):

PROSERPINAE
SERVATRICI
C. VETTIVS. SIL
VINVS. PRO. EV
NOIDE. PLAVTIL
LA. CONIVGE. SIBI
RESTITVTA
V. S. A. L. P.

Eſſe voluit hoc marmor, ut ipſe indicat, gratae in Proſerpinam mentis monumentum, ob coniugem ex graviſſimo morbo, atque ex orcu veluti reductam, ſaluti autem, adeoque ſibi etiam reſtitutam. Ea ſcilicet hominum ſuperſtitioſorum animos occupaverat opinio, ut in Proſerpinae ſitum crederent poteſtate, ab inferis reducere corporaque poſtliminio mortis animare. Patet hoc ex fabula de Alceſte, quam ex hac vita profectam Proſerpina, ab Hercule victa, in lucem remiſit; ſicuti EVRIPIDES (p) pluribus, paucis autem APOLLODORVS (q) ediſſerit.

§. XIX.

In parte extrema atque concluſione recenſionis Deorum Servatorum conſtituti antequam ad homines, eiusdem tituli honore

(l) Pag. 362

(m) Legitur haec oratio Tom. I. Opp. p. 236.

(n) In *vita Antonini Philoſophi* paſſim.

(o) Pag. XCVII. 6.

(p) In *Alceſt.* v. 840. ſeqq.

(q) *Bibliothec.* lib. I. cap. 9. p. 47. edit. Thom. Gale.

re fulgentes, accedimus, breviter ſtrictimque exponendae erunt antiquitates FORTVNAE, apud Romanos ita percelebris, ut in frequentia illa deûm ingenti numen nullum haberent, quod maiori religione, pluribus modis, formis atque nominibus venerararentur; quod probe obſervatum video elegantioris doctrinæ promocondo!, BERN. MONTFAVCONIO (r). Tantam ei vim atque poteſtatem tribuebant creduli, ut *Omnipotentem* dicere nulli dubitarent. Ita enim VIRGILIVS (s):

> *Me pulſum patria, pelagique extrema ſequentem*
> FORTVNA OMNIPOTENS, *& ineluctabile fatum,*
> *His poſuere locis.*

Et marmor vetuſtum, cuius inſcriptionem ex IAN. GRVTERO (t) apponimus:

FORTVNAE
AVG
OMNIPOTENT
VBI. ERAS
RHAMNV
SIA
VBI. ERAS
QVANTVM. ABFVIT
NE ROMA. LVGERET
SED. VIVIT. TRAIANVS
VE. TIBI. DECEBALE
MILSS. LEG. VI. ET XIII. G
DEVOTIS. CAPITIBVS

Quam igitur poſſe omnia, & boni malique fontem reputarunt ſuperſtitionis ſectatores, eam in Servatorum numinum cœtum quoque adſcribere eosdem oportuit: & vere cooptaſſe, fidem facit Lyricorum princeps, PINDARVS (u), fortunam in hunc modum affatus:

Λισ-

(r) Vide ejus *ſupplement de l'antiquité expliquée* Tom. I. p. 204.
(s) *Aeneid.* lib. VIII. v. 333.
(t) Pag. LXXIII. n. 8.
(u) *Olympiac.* od. XII. ſub initium.

Λίσσομαι παῖ Ζηνὸς Ἐλευθερίου
Ἱμέρα ἐρυθενέ᾽ ἀμ-
φὶ πόλει, ΣΩΤΕΙΡΑ ΤΥΧΗ.
Supplico tibi, Iovis, libertatis praeſidis, filia,
Pro Himera, potenti
Vrbe, SERVATRIX FORTVNA.

In ſequentibus poeticam huius deae exhibet deſcriptionem, edocetque, ab eius potentia derivatum eſſe *Σωτείρας* cognomen: ſed verboſius haec perſequitur, quae integra poſſimus opponere. Graeco ſermone loquentes imitati ſunt Quirites, quippe quos ſimiliter hoc cognomine mactaſſe Fortunam, inſcriptione comprobamus, a GVIL. MVSGRAVE (x) in lucem extracta:

FORTVNAE
CONSERVA
TRICI
L. SENECIA
NVS. MAR
TIVS. LEG.
VI. VICT.

Cumprimis hoc loco quae laudetur, haud indignam iudicamus aram marmoream, a IAN. GRVTERO (y) exſcriptam, in cuius parte averſa literis haec ſunt inciſa:

NVM. DOM. AVG.
SACRVM
FORTVNAE. CONSER
VATRICI. HORREOR.
GALBIANORVM
M. LORINVS. FORTVNA
TVS. MAGISTER
S. P. D. D.

Antica vero hanc legendam exhibet epigraphen:

NVM. DOM. AVG.
SACRVM

GENIO

(x) In *Belgio Britannico* tab. II. num. 8.

(y) Pag. LXXV. n. I.

GENIO. CONSERVATO
RI. HORREORVM. GAL
BIANORVM
M. LORINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S. P. D. D.

De horreis Galbianis, quorum Conſervatricem nuncupat marmor Fortunam, exploratum, quod afferam, habeo nihil praeter id, quod ex inſcriptione veteri apud THOM. REINESIVM (z) mihi innotuit; poſita nempe fuiſſe in monte Aventino, peculiaremque habuiſſe procuratorem, cuius officii partes impoſitas auguror M. Lorino Fortunato, quippe quem Magiſtrum appellat ara noſtra. Et, quoniam immenſa illa atque intolerabilis aedificatio Neronis, quam *domum auream* dici voluit, in hoc ipſo colle ſtetit: fortaſſis coniiciendo non aberravero, ſi eadem haec horrea arbitror, quae illud gentis Romanae propudium, ut ſpatium domus aureae nanciſceretur maximum, machinis bellicis labefactata cremavit (a); reſtaurata vero ſua opera ſuo quoque nomine Galbiana dixit Serv. Galba, Neronis ſucceſſor. Vt ut haec ſunt, aram hanc etiam eo nomine par erit ſuſpicere, quod inde diſcamus, a Genio diverſam haud creditam Fortunam. Idem amplius firmatur & ſolemni illa imprecationis formula, in ſepulcrorum violatores directa: QVI HANC ARAM LAESERIT HABEAT GENIVM IRATVM POPVLI ROMANI ET NVMINA DEORVM (b), & veteri aere argentoque, in quo frequentiſſime Genium urbis Romae habitu ſymbolisque, Fortunae propriis, depictum inſtructumque cernunt antiquitatum ſtudioſi (c). Quae quum ita ſint; ab hoc loco aliena non erit ſequens inſcriptio, apud IAC. SPONIVM (d) obvia, qua GENIVM quoque Conſervatoribus Diis addere iubemur:

H GENIO

(z) In *Syntagm. inſcript. antiq.* Claſſ. VI. num. 126.

(a) Vid. SVETONIVS in *Nerone* cap. 38.

(b) Vid. RAPH. FABRETTI *inſcript.* pag. 76.

(c) Conſ. IO. VAILLANTII *numiſm. Impp. praeſtantiora* Tom. II. p. 350. & LAVR. BEGERI *Theſaur. Brandenburg.* Tom. II. p. 782. & 793.

(d) *Miſcellan. erudit. antiq.* Sect. III. p. 102.

GENIO CONSERVATORI
DOM. BALBINORVM
SACRVM
D. CAELIVS SEX. F.
ESQVILINA
CALVINIANVS

§. XX.

Hactenus de Servatoris titulo, quem vanae religionis aſſeclae ſuis dederunt numinibus, diſputata manifeſtum faciunt, veritatem ſecutum ARSENIVM, ſacrorum Monembaſiæ antiſtitem, quum ad Euripidem (e) obſervaret: Ἄναξ, κυρίως σωτήρ. τοὺς οὖν ΘΕΟΥΣ ἄνακτας καὶ ΣΩΤΗΡΑΣ καλοῦμεν. *Anax proprie ſervatorem indicat: nam* DEOS *&* *anactes &* SERVATORES *vocamus.* Neque minus conſentanea vero iudicanda, quae ſtatim addit: Καταχρηστικῶς καὶ τοὺς ΔΕΣΠΟΤΑΣ ἄνακτας καλοῦμεν; ὡς δευτέρους ΣΩΤΗΡΑΣ. *Abuſive etiam* REGES *vocamus anactes, tanquam ſecundos* SERVATORES. Suffragatur enim Arſenio ampliſſimus ille titulorum regiorum, apud vetuſtos homines uſitatorum, catalogus, quem IVL. POLLVCI (f) debemus: nec non PLVTARCHVS (g), ex cuius relatione Reges οἱ εὐεργέτας, οἱ δὲ καλλινίκους, οἱ δὲ ΣΩΤΗΡΑΣ, οἱ δὲ μεγάλους ἀνηγόρευσαν ἑαυτούς, *alii Euergetas, alii Callinicos, alii* SOTERES, *alii Magnos ſe denominarunt.* Quid, quod res foret nullius propemodum negotii, ea, quae EZ. SPANHEMIVS (h) de principibus, Σωτήρων cognomine appellatis, erudite eſt commentatus, altero tanto auctiora exhibere: id ſi ageremus, ut ne quis Regum Servatorum hic deſideraretur; nec potius noſter eſſet ſcopus, ea tantum in medium producere Regum Σωτήρων exempla, quae, uti Paulli temporibus ſunt antiquiora, ita hunc gentium doctorem potuerunt impellere, ut honores, hominibus perperam tributos, ſummo numini aſſereret. Ab hoc noſtro propoſito ſeiunctum minime eſt Hieronis, Dinomene prognati, Syracuſanorumque numiſma aereum, quod CHRISTO-

(e) Ad *Hippolyt.* v. 88.
(f) *Onomaſtic.* lib. I. ſegm. 40. ſeqq.
(g) De *fortuna Alexandri* p. 338. C.
(h) De *praeſt. & uſu numiſm.* Tom. I. p. 415. ſeqq.

STOPH. WREEN (i), Angli, ſtudio in lucem vindicatum, num. 36. delineavimus. Altera facies ipſius principis vultum ſiſtit: altera vero circa equitem decurrentem legendam praebet epigraphen ΙΕΡΩΝΟΣ ΣΩ. quas litteras initiales eſſe tituli ΣΩΤΗΡΟΣ, ambiguum videbitur nemini. Eundem enim vocis huius decurtandae modum obſervamus in aliis Syracuſanorum numis, quorum unum ſupra, quum de Diana diſſereremus, laudavimus. Quo magis autem hoc compertum habeo exploratumque: tanto obſcurior videtur quaeſtio, unde cognomen iſtud inditum fuerit Hieroni, nihil minus quam ſplendidum illum titulum promerito. Deflexerat enim longiſſime a Gelonis fratris clementia comitateque. Nullas pro civibus ſuis excubias agebat, in id unice intentus, ut auri ſacra fame & crudeli imperio ſalutem eorum deſtrueret. Interim tamen album calculum haud denegaverim divinanti, arrogaſſe ſibi propria auctoritate Hieronem hunc titulum, quem meritis atque benevolentia ſuorum conſecutus erat Gelon, devicto deletoque ad internecionem Carthaginenſium exercitu a Syracuſanis Siculisque ceteris, teſte DIODORO, Siculo (k), ἐυεργέτης καὶ ΣΩΤΗΡ καὶ βασιλεύς; *Benefactor & SERVATOR & rex* in conventu publico proclamatus.

§. XXI.

Lagidarum, Aegypti regum, familiam recognoſcenti primus occurit PTOLEMAEVS, Lagi gnatus. Huic regni Aegyptiaci conditori adſcriptum eſſe Σωτῆρος titulum, planum facit magnus numorum numerus, a LAVR. BEGERO (l), IO. VAILLANTIO (m) & CHRIST. SIGM. LIEBE (n) explicatus; inter quos uti elegantia raritateque eminet, qui Gazae Gothanae eſt ornamento, ita non potuimus non illum, chalcographi ſtylo effictum, num. 37. apponere. Ex STEPHANI, Byzantini (o), relatione, ὑπ' Ὀξυδρακῶν σώσας Ἀλέξανδρον Πτολεμαῖος, σωτὴρ ἐκλήθη; *ab*

 Oxy-

(i) In *Numiſmatum antiquorum ſylloge a populis Graecis, Municipiis & coloniis cuſorum*, Londini 1708. 4. tab. II. n. 4.

(k) *Biblioth. hiſtor.* lib. XI. cap. 27.

(l) In *Theſaur. Brandenb.* Tom. I. p. 263.

(m) *Hiſtor. Ptolemaeor.* p. 25.

(n) In *Theſauro Fridericiano* p. 122.

(o) In Ὀξυδράκαι.

Oxydracis quum Alexandrum ſervaſſet Ptolemaeus, Soter eſt appellatus. At, alios ſentire aliter, ipſe non obſcure indicat verbis proxime ſequentibus, οἱ δὲ, ψεῦδος τὸ περὶ τῶν Ὀξυδράκων; *alii vero hoc de Oxydracis falſum eſſe perhibent.* Intelligit procul dubio Geographus ARRIANVM (p), quippe qui, quum retuliſſet, Alexandrum non apud Oxydracas, ſed contra Mallos pugnantem, gravibus vulneribus acceptis, capitis periculum ſubiiſſe, non ita multis interiectis (q) pergit: Τὸ μέγιςον πλημμέλημα τῶν ξυγγραψάντων τὰ ἀμφὶ Ἀλέξανδρον, ἐκεῖνο τίθεμαι ἔγωγε. Πτολεμαῖον γὰρ τὸν Λάγȣ ἔςιν οἳ ἀνέγραψαν ξυναναβῆναί τε Ἀλεξάνδρῳ κατὰ τὴν κλίμακα ὁμοῦ Πευκέςα, καὶ ὑπερασπίσαι κειμένου, καὶ ἐπὶ τῷδε Σωτῆρα ἐπικληθῆναι τὸν Πτολεμαῖον. *In eo cum maxime mihi erraſſe videntur, qui Alexandri hiſtoriam ſcripſerunt, quod Ptolemaeum, Lagi filium, una cum Alexandro & Peuceſta ſcalam conſcendiſſe perhibeant, iacentemque ſcuto protexiſſe, atque inde Ptolemaeum Soterem appellatum.* Et merito quidem huius narrationis architecti erroris poſtulantur ab Arriano. Accedit enim ipſi CVRTIVS (r), nullius Ptolemaei inter Alexandri ſervatores iniiciens mentionem. Quamquam autem PLVTARCHVS (s) haud dubitavit, quin teſtes locupletes eos exiſtimaret, qui Ptolemaeum Alexandro, Indorum iaculis paene confecto, ſua praeſto fuiſſe virtute, perhibent: ipſe tamen non ſatis certus, quo hac in re ſtare quis poſſit, auctor cenſetur, idque eo maiori iure, quo potior omnibus veritatis amantibus eſſe debet ipſius Ptolemaei auctoritas, qui, teſte eodem Arriano, in commentariis de vita propria praeciſe negavit, ſe interfuiſſe pugnae apud Mallos pugnatae; & contra adfirmauit, eo tempore ſe ad alios barbaros debellandos fuiſſe emiſſum. Veras Σωτῆρος appellationis, Ptolemaeo datae, natales in Rhodo inſula quaerere nos iubet PAVSANIAS (t). Rationem quidem, quam habuere huius rei Rhodii, ſilentio praeterit: quin tamen ſitam credamus in eo fuiſſe, quod Ptolemaeus huius inſulae habitatores, a Demetrio obſeſſos frumentique inopia laborantes, magno commeatu ſubmiſſo

(p) De *Expedit. Alexandr.* lib. VI. p. 398.
(q) Pag. 400.
(r) Lib. IX. c. 5.
(s) De *fortuna Alexandri* p. 344.
(t) In *Atticis* cap. VIII. p. 21.

ſo iuverit, nulli dubitamus. DIODORVS, Siculus (u), enim, qui memoriae haec prodidit, nonnihil conie&turae conciliat firmamenti, quum in ſequentibus (x) narrat, Rhodios, ut beneficii viderentur memores, miſſis in Lybiam ad Ammonis oraculum legatis quaeſiviſſe, an Ptolemaeum uti Deum Iupiter cenſeat colendum; atque hoc annuente lucum in urbe ipſi conſecraſſe. Quae ſi bene coniecimus: Σωτῆρος titulum Ptolemaeo, tanquam numini ſuo tutelari, Rhodienſes tribuerunt. Θεῶν Σωτῆρων certe nomine una cum coniuge, BERENICE, vocatur in monumento Adulitano, cuius a LEON. ALLATIO editi, prima ſic ſe habent apud EZ. SPANHEMIVM, (y) verba: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΥΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΣ. *Rex magnus Ptolemaeus, filius regis Ptolemaei & reginae Arſinoës, deorum fratrum; regum Ptolemaei, & reginae Berenices*, DEORVM SERVATORVM, *nepos.*

§. XXII.

In horum poſteris PTOLEMAEVS VIII, quem vulgo Lathyrum vocamus, quum Memphim aſcendiſſet, ibi regnum auſpicatus ſacrisque pro more initiatus, Soteris cognomen accepit. Verum, innituntur haec ſolo hiſtoricorum teſtimonio (z); neque aetatem tulerunt Lagidae huius aerea lapideaque monumenta, Servatoris vocabulo inſignita; quare ſtrictim eum attigiſſe ſatis habemus. Poſt Lathyri obitum, regum Aegyptiacorum novi neminem, eodem appellatum titulo, praeter famoſam illam CLEOPATRAM, qua mortua in provinciae formam Auguſtus Aegyptum redegit. Teruntur enim in hoc usque tempus numiſmatophilorum manibus reginae huius & M. Antonii imaginibus conſpicui numi, in quorum parte altera circa Cleopatrae caput

 legi-

(u) Lib. XX. cap. 97.
(x) Cap. 101.
(y) De *praeſt. & uſu numiſm.* Tom. I. p. 422.
(z) Vid. IO. VAILLANTII *hiſtoria Ptolemaeorum* p. 113.

legitur : ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΟΣΣΑΝ ΣΩΤΗΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ (vid. num. 38). Ex eorum autem ſunt genere haec numiſmata, quorum explicatio negotii plurimum faceſſit rerum antiquarum ſcrutatoribus. In primis IOH. TRISTANVM (a) ſollicitum habuit vocabulum ΟΣΣΑΝ, cuius ſignificationem adeo exputare non potuit, ut, quo ſe verteret, ubi pedem figeret, haud inveniret. Nunc enim vocabulum illud in Graecia quaerit, contenditque, ὄσσαν ſubinde pro θεία & φήμη poni, explicandumque eſſe per *clariſſimam*, *illuſtrem*, *inclitam & deae ſimilem*: nunc vero ex oriente derivandum praecipit, ſiquidem ei cognatio intercedat cum voce illa votiva הושענא, qua Iudaeos tabernaculorum ſolemnitate uti conſtat. Verum enim vero, utramque hanc coniecturam ita comparatam deprehendo, ut a veritate longiſſime deflectat. Quod enim ad primam attinet, infirmo illa, immo, ut rectius loquar, nullo nititur fundamento. Excitavit quidem Triſtanus EVSTATHIVM (b) & HESIODVM (c), quorum teſtimonio doceret, ὄσσαν nonnunquam θείαν; alias vero φήμην ſignificare. At, Theſſalonicenſium ille praeſul ὄσσαν per θείαν φήμην i. e. μαντείαν explicat: apud Heſiodum vero Muſarum in Iovem ceteramque immortalium familiam denotat canticum. Nequicquam igitur adiuvant Triſtanum, cuius & alteram coniecturam, qua, monetarium Aegyptium Hebraizantem voce ΟΣΣΑΝ idem indicare voluiſſe ac ſequente ΣΩΤΗΡΑΣ, diſputat. Vnde enim ipſi innotuit, in Aegypto eſſe factum numiſma? Et, ſi liberaliter haec concederemus: tamen, quoniam nullum ego quantum ſedula inquiſitione cognovi, exſtat numiſma Ptolemaeorum, cuius inſcriptio Graeca Aegyptiacis vocabulis interſtincta, dubia utique, immo falſa Triſtani iſta explicatio eſſet pronuncianda. Quia momenta in obſcuro adhuc poſita interpretando explicare non licet modo, ſed etiam incumbit omnibus: licebit etiam mihi ediſſerere, quae numiſma iſtud curioſe contemplanti in mentem venerunt. Non diffiteor olim me firmiter habuiſſe perſuaſum, ΟΣΣΑΝ ΣΩΤΗΡΑΣ perperam in duas diſpeſci voces coniunctimque legendum ΟΣΣΟΤΗΡΑΣ i. e. *Auxiliatricis*. Ὀσσοτῆ-

(a) *Commentar*. Tom. I. p. 57. edit. Baſil.
(b) Ad *Iliad* ά. p. 45. & Odyſſ. ά. p. 30.
(c) Θεογον. v. 10.

σοτῆρα enim, ſive, ut alibi ſcribitur, Ἀοσσοτῆρα cum HESYCHIVS, tum Etymologici M. compilator βωηθὸν explicat, adeoque quoad ſenſum a σωτῆρ nihil differt. Verum, & hanc interpretationem ſuis laborare difficultatibus, animadvertens diu in ſententiam disceſſi STEPH. LEMOYNE (d), EZ. SPANHEMII (e) aliorumque, qui, licet IOS. SCALIGER (f) & HVB. GOLTZIVS (g) cum Triſtano legant ΟΣΣΑΝ, quin tamen ΘΕΑΣ legendum docerent, nulli dubitarunt, teſtati cum alia numiſmata, Cleopatram ΘΕΑΣ titulo vocantia, tum etiam DIONEM, Caſſium (h), apud quem in Antonium, Cleopatram καθάπερ τινὰ Ἶσιν, ἢ Σελήνην, προσκυνοῦντα, *tanquam Iſidis aut Lunae numen venerantem*, vehementer invehitur Auguſtus. Praeter ΟΣΣΑΝ autem in mendo quoque cubat ΣΩΤΗΡΑΣ vocabulum, quod conſtans ſermonis Graeci uſus reſpuit & cum ΣΩΤΕΙΡΑΣ commutari iubet; niſi fortaſſis pro ΘΕΑΣ ΣΩΤΕΙΡΑΣ reponendum erit ΘΕΑΣ ΝΕΩΤΕΡΑΣ, quo nomine in numis compluribus gaudet (i) & per excellentiam, nullo Deae nomine addito, appellari Cleopatra voluit. Sicuti autem haec vel firmanda, vel refellenda, ſunt ipſius numiſmatis inſpectione: ita omnes, qui huius controverſiae divellendae habent aut nanciſcentur occaſionem, publice atque officioſiſſime rogatos volo, ut veram numi inſcriptionem cum erudito orbe communicare ne graventur.

§. XXIII.

Pergo ad ceteros Alexandri M. in imperio ſucceſſores, quos aſſentatorum genus ſervum ſplendido Servatoris titulo ad maiora beneficia, ipſi largienda, inſtituit provocare. In iis numerandos eſſe ANTIGONVM eiusque filium, DEMETRIVM, a tot expugnatis urbibus Poliorcetae nomen conſecutum, dudum ex hiſtoricorum operibus didicerunt, qui res antiquo aevo geſtas rimantur. Qui vero idem ex numis, vel aliis orbis vetuſti reliquiis, pub-

(d) In *Variis ſacris* Tom. II. p. 128. ſeqq.

(e) De *praeſt. & uſu numiſm.* Tom. I. p. 418.

(f) In *notis ad Euſebium.*

(g) In *Iulio Caeſare* tab. XLIV. num. 7. & 9.

(h) *Hiſt. Rom.* lib. L. p. 496

(i) Vid. IO. VAILLANTIVS loco modo citat p. 189. ſeq.

publice docuerit, in hoc usque tempus reperi neminem. Equidem Antigoni huc ſpectantia monumenta incaſſum hactenus quaeſivi: eius vero gnatum, Demetrium, Soteris nomine appellat numiſma num. 39. exhibitum atque a WOLFFG. LAZIO (k) vulgatum, qui etiam, quum ex apertis indiciis eum vindicet Macedoniae, quam in ſua poteſtate aliquamdiu habuit Poliorcetes, ſimul diluit eorum obiectionem, qui numiſma iſtud Seleucidarum decimo, Demetrio nempe primo, adiudicare fortasſis inſtituerint. Dignum vero hoc titulo Demetrium cum patre Antigono iudicarunt Athenienſes poſtquam horum regum opera & civitas Athenienſis in priſtinam libertatem eſſet reſtituta, & ei, praeter centum & quadraginta millia medimnûm tritici, materia ad centum triremes faciendas ſubmiſſa; ad quam munificentiam ſpectare copiae cornu, quod mulieris figura, in averſa parte ſedens, ſiniſtra manu ſuſtentat, coniectura, mihi haud ita improbabili, fortaſſis non nemo dixerit. De cognominis huius origine, quae diſſeruimus, iis fidem conciliant DIODORVS, Siculus (l): Ὁι Ἀθηναῖοι, γράψαντος ψήφισμα Στρατοκλέους, ἐψηφίσαντο χρυσᾶς μὲν εἰκόνας ἐφ᾽ ἅρματος στῆσαι τοῦ τε Αντιγόνου καὶ Δημητρίου, πλησίον Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος· στεφανῶσαι δὲ ἀμφοτέρους ἀπὸ ταλάντων διακοσίων, καὶ βωμὸν ἱδρυσαμένους προσαγορεῦσαι ΣΩΤΗΡΩΝ. *Athenienſes communi per Stratoclem ſcripto decreto iuſſerunt, ut Antigoni & Demetrii ſtatuae aureae prope Harmodium & Ariſtogetonem in curru collocarentur; uterque ducentorum talentorum corona redimeretur, araque ipſis* SERVATORVM *nomine dedicaretur;* & PLVTARCHVS (m), qui tamen paullo aliter rem ediſſerit: Πρῶτον ἁπάντων τὸν Δημήτριον καὶ Ἀντίγονον βασιλεῖς ἀνηγόρευσαν, ἄλλως ἀφοσιουμένους τοὔνομα, καὶ τοῦτο δὴ μόνον τῶν βασιλικῶν ἔτι τοῖς ἀπὸ Φιλίππου καὶ Ἀλέξανδρου περιεῖναι δοκοῦν ἄθικτον ἑτέροις καὶ ἀκοινώνητον. μόνοι δὲ ΣΩΤΗΡΑΣ ἀνέγραψαν θεοὺς, καὶ τὸν ἐπώνυμον καὶ πάτριον ἄρχοντα καταπαύσαντες, ἱερέα σωτήρων ἐχειροτόνουν καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτόν. καὶ τοῦτον ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων καὶ τῶν συμβολαίων προέγραφον. *Omnium primum Demetrium & Antigonum reges appellarunt,*

(k) *Rerum Graecar.* lib. I. pag. 25.
(l) Lib. XX. Cap. 47.
(m) In *Demetrio* p. 893. C.

larunt, hoc nomen in eam diem averſatos: quod quidem ex inſignibus regiis unum adhuc Philippi & Alexandri generi illibatum aliis & intactum ſupererat. Soli eos SERVATORES *deos in acta retulerunt, abrogatoque vetere magiſtratu, Archonte, a quo denominabatur in faſtis annus, Servatorum ſacerdotem quotannis creaverunt, quem plebiſcitis contractibusque praeſcripſerunt.*

§. XXIV.

Seleucidae, ad quos cum Syria bene magna regionum Aſiaticarum portio ex Alexandri M. hereditate, non iure quidem, ſed vi atque armis pervenit, quum maximam partem divinitatis eſſent appetentiſſimi atque ut numina, quae ipſos venerari oportebat, coli vellent atque compellari: plures in hac familia, quam alibi, deprehendimus Σωτῆρος cognomine inſignitos. Nam & Seleucus Nicator, conditor huius gentis, ita dictus eſt ab Athenienſibus, Lemnum incolentibus, qui ipſi, teſtimonium dicente ATHENAEO (n), templum exſtruxerunt, poculumque, ſub epularum exitum libandi cauſſa defundendum, Σελεύκου Σωτῆρος, *Seleuci Servatoris*, dixerunt; & Seleucus IV, l. Philopator, nec non Antiochus X. l. Euſebes, hunc titulum habere dicuntur apud IOSEPHVM (o). Verum, ut ſatis nobis eſt, hanc trigam in tranſitu veluti attigiſſe; quippe cuius neque numos, neque lapides ullos ſuperſtites novimus, hoc titulo notatos: ita, quod ad poſteriores duos attinet, valde dubitamus, an Σωτῆρες appellati ſint unquam. Vterque profecto Joſephi locus, quo nituntur, qui hoc cognomen ipſis vindicant, ſubleſtae eſt fidei. Priorem enim alii codices ita exhibent, ut pro Σωτὴρ; legant Φιλοπάτωρ quam lectionem veram eſſe contendit IAC. VSSERIVS (p). Poſterior vero, ipſo EZ. SPANHEMIO (q) non diffitente, gloſſarum interpolationibus fœdatus ad noſtra tempora pervenit proinde. Mirum videtur, qui vir eruditiſſimus (r) ex his ipſis Joſephi verbis exſculpere, potuerit Antiochum X. Σωτῆρα

I prae-

(n) Lib. VI. p. 255.

(o) Prior *Antiquit. Judaic.* lib. XII. cap. 4. §. 10. poſterior vero lib. XIII. cap. 10. §. 1.

(p) Ad A. M. 3817.

(q) In notis ad h. l. Joſephi.

(r) De *praeſtant & uſu numiſmi* Tom. I. p. 414.

praecipue Joſepho quum ſermo ibi ſit de patre Antiochi Cyziceni avoque Antiochi decimi. Vt ut autem veritati vel ſimilia haec videntur vel diſſimilia: miſſos tamen hos Seleucidas facere nos oportet; ſiquidem non niſi chartacea, eademque admodum dubia, monumenta ad noſtram tempeſtatem ſunt perducta, quae ipſorum nominibus Σωτῆρος addunt cognomen. Primus ex hac gente, quem lapis vetuſtus Σωτῆρα indigitat, Seleuci Nicatoris eſt filius, Antiochus I. Mactatur hoc titulo in Pſephiſmate, quod in eius honorem poſuerunt Sigei, & eruditis commentariis dilucidatum in lucem produxit Anglus longe doctiſſimus, EDMVND. CHISHVLL(s):

ΕΠΙΒΗΜΑΤΟΣΤΟΥΛΕΥΚΟΛΙΘΟΥΚΑΙΕΠΙΓΡΑΨΑΙΟ-
ΔΗΜΟΣ - - - -
ΟΧΟΝΒΑΣΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΕΥΣΕΒΕΙΑΣΕΝΕΚΕΝ-
ΤΗΣΕΙΣΤΟΙΕΡΟ - - -
ΤΗΡΑΓΕΓΟΝΟΤΑΤΟΥΔΗΜΟΥ

Lacunas, quibus lapis commaculatus eſt, feliciſſime editor ita explevit:

Ἐπὶ βήματος τοῦ λευκολίθου, καὶ ἐπιγράψαι, ὁ δῆμος
(Σιγειέων βασιλέα Ἀντί-
οχον βασιλέως Σελεύκου ἐυσεβείας ἕνεκεν τῆς ἐις
τὸ ἱερὸν (Ἐυεργέτην καὶ Σω-
τῆρα γεγονότα τοῦ δήμου.

Supra baſin candidi marmoris, eique ſic inſcribunto: Populus Sigeorum hoc honore proſecutus eſt regem Anti-
ochum regis Seleuci F. ob ſuam erga templum pietatem Benefactorem & So-
tera populi.

Non eo ſolum nomine, quod ſolus Σωτῆρος appellationem Antiocho vindicet, hunc lapidem par erit ſuſpicere, ſed etiam, & cum maxime quidem, propterea, quod veram genuinamque eius originem indicet. Tractam eſſe oſtendit a ſalute, poſt victum Nicomedem & firmatum paternum imperium omnibus intra Taurum

(s) v. 36. ſqq.

rum montem data civitatibus. Quae veritati ſi ſunt conſentanea, quod nemo dubitat: apparet iam, quo loco habenda relatio APPIANI, memoriae dum prodidit, illud nomen meruiſſe Antiochum, quod Gallos, Aſiam perpopulantes, debellaverit. Verba eius (t): Ἀντίοχος, ὁ τῆς μητρυιᾶς ἐρασθεὶς, Σωτὴρ ἐπεκλήθη, Γαλάτας ἐκ τῆς Εὐρώπης ἐς τὴν Ἀσίαν ἐμβαλόντας ἐξελάσας. *Antiochus, qui novercam adamaverat, Soter eſt cognominatus, poſtquam Gallos, ex Europa in Aſiam irrumpentes, repuliſſet*; aut falſa omnino erunt dicenda, aut de Gallis, in Nicomedis exercitu forſan militantibus, explicanda. Victoria enim a Galatis, Aſiae regiones vaſtantibus, reportata non Σωτῆρος, ſed Καλλινίκου honores rex ſibi paravit; quos quum ipſi milites decernerent, contemplatus, victoriam eam ſedecim elephantis ſe eſſe adeptum, profuſis lacrymis exclamavit, teſte LUCIANO (u): Αἰσχυνώμεθα, ὦ στρατιῶται, οἷς γε ἡ σωτηρία ἐν ἑκκαίδεκα τούτοις θηρίοις ἐγένετο. ὡς εἰ μὴ τὸ καινὸν τοῦ θεάματος ἐξέπληξε τοὺς πολεμίους, τί ἂν ἡμεῖς ἦμεν πρὸς αὐτοὺς; *Pudeat nos, o milites, quibus in hiſce ſedecim belluis ſalus ſtetit; adeo, ut niſi ſpectaculi novitas hoſtium animos perculiſſet, quid nos prae illis fuiſſemus?* Si igitur hinc Callinicus eſt dictus; ſi huius victoriae gloriam adeo ſibi non arrogavit, ut potius eam belluis deberi, ſit profeſſus; ſi denique erecto poſt proelium trophaeo elephantis modo figuram inſculpi voluit: Arrianus merito vel erroris poſtulatur, vel praeeunte Sigeorum Pſephiſmate ita exponuntur eius verba, ut fuſo una cum Gallis Nicomede liberatisque Aſiae civitatibus Σωτῆρα Antiochum eſſe appellatum, inde conſtet.

§. XXV.

Progreſſuros iam ad Demetrium huius nominis primum moratur EZ. SPANHEMIUS (x), iubens, ut Seleucidis Σωτῆρσι annumeretur quoque ANTIOCHUS II, Dei cognomine alias inſignitus; atque id quidem fide foederis Smyrnaeorum & Magnetum, ab HUMPHR. PRIDEAUX (y) editi:

(t) De *Bellis Syr.* p. 210.
(u) In *Zeuxe* Tom. II. Opp. p. 327.
(x) *De praeſt. & uſu numiſm.* T. I. p. 415.
(y) Inter *Marmora Oxonienſia.* V. 101.

ΚΑΙΥΠΑΡΧΕΙΝΑΥΤΟΙΣΤΑΑΥΤΑΟΣΑΚΑΙΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣ
ΠΟΛΙΤΑΙΣΥΠΑΡΧΕΙΚΑΙΤΟΥΣΤΕ
ΚΛΗΡΟΥΣΕΑΥΤΩΝΤΟΥΣΔΥΟΟΝΤΕΟΘΕΟΣΚΑΙΣΩΤΗΡ
ΑΝΤΙΟΧΟΣΕΠΕΧΩΡΗΣΕΝΑΥΤΟΙΣ

Et pertinere eadem ad eos, quaecunque ad ceteros cives pertinent; Quin etiam praedia eorum bina, tam illud, quod Deus & SOTER Antiochus illis conceſſit.

Quemadmodum vero IO. HARDVINVS (z), hos ipſos verſus perperam interpretatus, ex duobus unum confinxit Antiochum, poſtquam illum Theum ex Syriae regum catalogo deleverat: ita etiam illuſtrem Spanhemium humani quid paſſum, dolemus, arbitratum, Antiochum Θεὸν καὶ Σωτῆρα, a Smyrnæis Magnetibusque collaudatum, haud diverſum eſſe ab Antiocho II, quem vulgo Θεὸν appellamus. Marmoris enim auctores reſpexerunt huius patrem, de quo ſuperiori § ſumus commentati. Erroris anſam habuit vir doctiſſimus μνημονικὸν ἁμάρτημα, haud recordatus, Antiocho primo Soteri, inter vivos adhuc agenti, templa eſſe erecta ſacerdotesque conſtitutos; ſicuti tam ex ATHENAEO (a), quam ex Sigeorum decreto publico (b) clare eluceſcit. Quibus rebus ita comparatis, nihil amplius obſtat, quominus pergamus ad DEMETRIVM I, quem Σωτῆρα vocant numiſmata, quorum ectypa, plena allata manu, apud LAVR. BEGERVM (c), IO. VAILLANTIVM (d), CHRIST. SIGM. LIEBE (e) & NIC. FRANC. HAYMIVM (f) reperient curioſi; quibus non ingratum fore confidimus, Haymianum, typo plane ſingulari conſpicuum, num. 40. videre delineatum. Gryphi, in adverſa parte quae comparet, figuram ad Apollinem, cui fabuloſum illud ferarum genus conſecraverant ſuperſtitioſi; cervae autem caput, in poſtica ſignatum, ad Dianam, numina, a Syrorum natione prae ceteris religioſe culta, reſpicere, rem puto omnibus cognitam. Alias in Deme-trii

(z) In *Chronologia Vet. Teſt.* Opp. ſelect. p. 582. ſeq.
(a) Loco ad ſuperiorem §. citat.
(b) v. 26, ad quem vide, quae obſervat ED. CHISHVL.
(c) *Theſaur. Brandeburg.* Tom. I. p. 254. ſeq.
(d) In *hiſt. Seleucid.* p. 241. ſeq.
(e) In *Gotha numaria* p. 112.
(f) *Theſaur. Britannic.* T. I. p. 51.

trii numis, Σωτῆρος cognomine notatis, ipſe conſpicitur Apollo, cuius imaginis frequentia ad ſuſpicandum paene fuiſſet ductus CHRIST. SIGM. LIEBE, ipſum Demetrium Soteris Apollinis habitu inibi exhiberi. Verum, quo minus in eam ſententiam diſcederet, prohibitus obſervatione, Apollinem commune Regum Syriae in veteri aere argentoque eſſe ſymbolum: ad veritatem revocavit animum. Accepit nempe hoc cognomen Demetrius a Babyloniis, quum Roma clam relicta Heraclidaque in fugam coniecto Timarchum rebellem, qui Babylonis praefecturam avare crudeliterque adminiſtraverat, occidiſſet. APPIANVS (g): Δεξαμένων αὐτὸν ἀσμένως τῶν Σύρων ἦρχε, τόν τε Λυσίαν καὶ τὸ παιδίον ἐπ᾽ αὐτῷ διαφθείρας. καὶ Ἡρακλείδην ἐκβαλὼν, καὶ Τίμαρχον ἐπανιστάμενον ἀνελῶν, καὶ τἄλλα πονηρῶς τῆς Βαβυλῶνος ἡγούμενον· ἐφ᾽ ᾧ καὶ ΣΩΤΗΡ, ἀρξαμένων τῶν ΒΑΒΥΛΩΝΙΩΝ, ΩΝΟΜΑΣΘΗ. *Exceptus a Syris magna gratulatione, regnum adeptus eſt. Lyſia primum interfecto, mox & puero: eiectoque Heraclida, & Timarcho, rebelle, occiſo: qui alioquin etiam Babylonis praefecturam male adminiſtraverat,* SOTER *inde eſt* APPELLATVS, *orto a* BABYLONIIS *initio.*

§. XXVI.

Rem Romanam ab exiguis originibus viri, virtute aequitateque illuſtres, ad illam deduxerunt amplitudinem, ut, quum pars orbis terrarum maxima ſub eius iurisdictionem poteſtatemque eſſet ſubiuncta, Quiritum potentia par poneretur deorum imperio, ipſorumque urbs patria *Deae*, immo *terrarum Deae gentiumque* titulo exornaretur; quarum appellationum altera paſſim in aere argentoque veteri (h), altera autem apud MARTIALEM (i) legitur. Neque ita officio ſe ſuo functos credebant homines ſuperſtitioſi. Divinis nominibus addiderunt honores religioſos, urbique Romæ aras complures templaque magno numero, per Aſiae inprimis provincias, dedicarunt (k). Quid mirum igitur, ſi urbis huius, in deorum immortalium coetu atque

 con-

(g) De *Bellis Syr.* p. 188, 189.

(h) Vide ſis CAR. PATINVM in *Numiſm. Impp. ex aere mediae & minimae formae* p. 3. ſeq.

(i) Lib. XII. epigr. 8.

(k) Conf. EZ. SPANHEMIVS de *praeſt. & uſu numiſm.* Tom. I. p. 138. ſeq.

concilio repoſitae, cives quoque decorarunt ſplendido Servatoris cognomine? Salutatur autem POPVLVS ROMANVS Servator a Laodicenſibus in veteri marmore, quod ante hos centum annos in Barberinorum palatio ad montem Quirinalem Romae ſe vidiſſe quidem refert IAC. SPONIVS (l), ſed eius inſcriptionem mutilam edidit atque duobus in fine verſibus decurtatam. Vtraque, qua conſcripta eſt, lingua, integramque, ut eam divulgavit LVC. HOLSTENIVS (m), non piget h. l. lectoribus ſiſtere legendam:

POPVLVS. LAODICENSIS. AF. LYCO
POPVLVM. ROMANVM. QVEI. SIBEI
SALVTI. FVIT
BENEFICII. ERGO. QVAE. SIBEI
BENIGNE. FECIT.

Ο ΔΗΜΟϹ Ο ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟϹ ΤΩ ΛΥΚΩ
ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΟΝ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΓΕΓΟΝΟΤΑ
ΕΑΥΤΩ ΣΩΤΗΡΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΑΡΕΤΗϹ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑϹ
ΤΗϹ ΕΙϹ ΑΥΤΟΝ.

Situm urbis, a Laodicenſibus his inhabitatae, indicant quidem aperte ſatis literae AF. LYCO, *ad flumen Lycum* eam ponentes; & multo accuratius definit numus Commodi apud IO. VAILLANTIVM (n), qui eam ad Lycum collocat & Caprum, duos fluvios, quorum ille Laodiceam Phrygiae interfluit, hic vero alluit. Nihilominus tamen haud convenit inter geographos, cui praecipue Aſiae minoris regioni ſit adiudicanda. In Caria enim quaeritur a PHILOSTRATO (o): in Lycia contra ab huius interprete doctiſſimo, GOTHOFR. OLEARIO (p). Verum propenſior videtur ad veritatem eorum ſententia, qui inter Phrygiae oppi-

(l) In *itinerario per Italiam, Dalmatiam, Graeciam Aſiamque minorem*, quod Gallice exſtat, Tom. I. p. 416. ſeq.

(m) In *notis & caſtigationibus in Stephani* ἐθνικὰ p. 187. b.

(n) Vid. *Numiſm. Impp. a populis, Graece loquentibus, percuſſa* p. 20.

(o) De *vitis Sophiſtarum* lib. I. p. 530.

(p) Ad. l. c. Philoſtrati

oppida Laodiceam hanc recenſent; ſiquidem pro his militat non ſolum laudatum numiſma, ſed PLINIVS (q) etiam atque STRABO (r), quorum huic eo plus fidei habemus, quo maiori cura orbis antiqui deſcriptionem contexuit. Quibus vero commoti rebus Laodicenſes populum Romanum dignum cenſuerint Σωτῆρος titulo, haud longae inquiſitionis labor erit. Hoc nomine appellaſſe Quirites, quod ipſis ſaluti fuerint atque beneficii ergo, quae benigne ipſis fecerit, expreſſis verbis in lapide allato profitentur. Scribendi conſuetudinem, quam lithotomum ſervaſſe animadvertimus, antiquiſſima ſapit tempora. In libera enim republica, quum linguam ſuam nondum ſatis perpoliviſſent Romani, *quei* pro *qui*, & *ſibei* pro *ſibi*, non ſecus ac artifex noſter, ſcribebant. Manifeſto igitur hoc indicio, ad eandem aetatem referri debere lapidem, ducor ad ſuſpicandum, Laodicenſes Σωτῆρος appellatione remunerari voluiſſe civitatis Romanae benignitatem, qua ipſis cum Phrygiae oppidis ceteris, poſt Antiochum regem Aſianosque devictos, permiſerant ſuis uti legibus. *Αὐτονομίαν* conceſſam Phrygiae, diſerte eloquitur Sylla in oratione, ad Mithridatem habita, apud APPIANVM (s): Ὧς λόγῳ ΦΡΥΓΙΑΝ, *ἀδίκως σοὶ δοθεῖσαν, οὐχ' ἑαυτῇ συντελεῖν ἐπέταξεν ἐς τοὺς φόρους, ἀλλ'* ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ *μεθῆκεν. Quapropter & PHRYGIAM, iniuſte tibi attributam, non ſibi fecit tributariam, ſed iuſſit eſſe* LIBERAM. Ne quis vero haec in eam interpretetur partem, ac ſi privilegium ſuis utendi inſtitutis bello demum Mithridatico fuerit conceſſum Laodicenſibus, ad Antonini Severi numum (t) provocamus, qui additum habet annum ΤΠΗ, hoc eſt CCCLXXXVIII. qui eſt annus V. C. DCCCCLII. ducto aerae initio ab anno V. C. DLXV, quo omnis Aſia, teſtante PLINIO (u), in Romanorum per venit poteſtatem. Sive autem ita coniiciendo rem acu tetigimus, ſive a veritate aberravimus: id tamen certum evictumque, ipſius noſtri lapidis auctoritate freti, exiſtimamus, beneficia optime de ſe meritorum

(q) *Hiſt. Nat.* lib. V. cap. 29.
(r) *Geograph.* lib. XII. p. 866.
(s) De *Bello Mithridatic.* p. 351.
(t) E theſauro Mauroceno adducitur a IOH. HARDVINO *operum ſelector.* p. 92.
(u) *Hiſt. Nat.* lib. XIII. cap. 3. & lib. XXXIII. cap. 11.

torum Quiritum iure quodam proſecutos eſſe Laodicenſes Σωτῆρος appellatione; quum contra C. VERRES pro indigniſſimo habetur, qui hoc mactetur honore. Merito enim ſuo ſalutis potius deſtructor debuiſſet appellari. Nihilominus tamen eius mentionem facere nos oportet in Σωτήρων recenſione. Vt enim omnia, quae cupiebat, nunc vi aperta, nunc dolo malo ſibi comparare noverat: ita etiam Siculos, quorum ſaluti cum maxime inſidiabatur, perpulit, ut ipſius memoriae dicarent lapides, ſplendido hoc titulo conſpicuos. Memoriam eorum ad noſtrum aevum transmiſſam debemus Verrinae impietatis vindici ſtrenuo, CICERONI (x): *Itaque eum non ſolum Patronum iſtius inſulae, ſed etiam* SOTERA *inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit.* Perinde ac Verres immerito Servatorum ornatu honeſtatos videmus in antiquis monumentis triumviros reipublicae conſtituendae, LEPIDVM, ANTONIVM & AVGVSTVM, quippe qui neque clementia aut moderatione, neque etiam beneficiis, ſed civium optimorum caede, pecuniarum rapinis atque tetris crudelibusque factis ſunt nobilitati. Spectant huc numi, magno numero ſuperſtites, in quibus SALVS GENERIS HVMANI impotenti ipſorum dominationi accepta refertur; quorumque bigam, ab HVB. GOLTZIO (y) editam, chalcographi manu num 41 & 42 in aes incidendam curavimus. In priori ad Apollinis tripodem ſtat Lepidus, lituum manu tenens, atque cum Antonio Auguſtoque foedus icere videtur; ex quo uti temporum felicitatem ubertatemque rerum omnium ſperare iubebant, quod muliere, ad pedes eorum cum copiae cornu & caduceo iacente, ſignificatur: ita videri etiam volebant pro humani generis conſervatione ſummopere propugnaſſe. Quum vero paſſim bella inteſtina eſſent, & caedes proſcriptionesque non infrequenter fierent: in poſteriori numiſmate tribus dextris coniunctis cum caduceo, faſcibus & orbe idem innuunt atque de ſalute deſperantes mortales ſpe melioris confirmare ſatagunt.

§. XXVII.

(x) Lib. II. in *Verrem* cap. 63.

(y) In *Auguſto* tab. XXIV. n. 5. & 8.

§. XXVII.

Etſi inter triumviros, ſalutis humanae defenſoris elogio ſuperbientes, iam adfuit AVGVSTVS: hoc tamen haud prohibemur, quominus ſpeciatim eius nunc iterum faciamus mentionem, exhibeamusque numiſmata duo (vid. num. 43. & 44.), itidem a modo laudato HVB. GOLTZIO in lucem aſſerta (z), in quibus ſolus appellatur SALVS GENERIS HVMANI. Alterum hanc epigraphen incluſam oſtendit corona querna; qualem Romanos *Civicam* dixiſſe atque iis dediſſe muneri, qui in proelio civem ita ſervaverant, ut ſimul occidiſſent hoſtem, non niſi rerum omnium ignari neſciunt. Eadem donarunt Romani Auguſtum, quod perpetuus hoſtium eſſet victor atque civium Servator. OVIDIVS (a):

> *Cauſſa, ſuperpoſitae ſcripto teſtata* CORONAE,
> SERVATOS CIVES *indicat huius ope.*

DIO, Caſſius (b): Ὁ Καῖσαρ πολλὰ μὲν καὶ πρότερα, ὅτε τὰ περὶ τῆς ἐξωμοσίας τῆς μοναρχίας, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν διανομῆς διελέχθη, ἔλαβε. καὶ γὰρ τό, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν ΣΤΕΦΑΝΟΝ τὸν ΔΡΥΙΝΟΝ ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς ΠΟΛΙΤΑΣ ΣΩΖΟΝΤΙ, ἐψηφίσθη. *Caeſari, quum orationem de eiurando regno ac dividendis provinciis habuiſſet, multi erant honores delati, ut nempe ante ipſius palatium lauri ponerentur, ac ſuper eas* CORONAE QVERNAE *ſuſpendentur, nimirum quod perpetuus hoſtium victor ac* CIVIVM *eſſet* SERVATOR. Haud vero donatus videri voluit hac corona Auguſtus, quod urbem modo resque Romanas ab omni detrimento conſervaſſet integras; ſed propterea cum maxime ſummo in pretio munus illud habuit, quod a toto veluti hominum generi ipſi eſſet decretum. Scribit hac de perſuaſione PLINIVS (c): *Dedit hanc* (navalem) *Auguſtus coronam Agrippae. Sed* CIVICAM A GENERE HVMANO *accepit* ipſe. In numorum altero Fortuna, vel, ſi mavis,

K

(z) Ibid. tab. LVII. num. 2. & 4.
(a) *Triſt.* lib. III eleg. 1. v. 47.
(b) *Hiſt. Rom.* lib. LIII. p. 580.
(c) *Hiſt. Nat.* lic. XVI. cap. 4.

mavis, Victoria, globo inſiſtens, palma atque corona, quam dextra tenet, ſignificat, Auguſti victorias, per terrarum orbem univerſum partas, humanum genus reſtituiſſe incolumitati. Apud diligentiſſimum rerum antiquarum collectorem, IAC. SPONIVM, (d) haec legitur inſcriptio, Lucae, in columna, reperta:

AVGVSTO LIBERATORI NATIONVM
ORBIS ROMANI
INSTITVTORI LIBERTATIS HETRVSCÆ REIP.
CONSERVATORI MILITVM TVTORI LEGVM
ET BONO REIP. NATO
COLONIA LVCENSIVM
DIVO TIBERIO CLAVDIO QVARTO EIVS AN.
NERONI INVICTO PATRI PATRIAE ROMANORVM
SEMPER AVGVSTO

Genuinum hoc ſi eſſet marmor, atque circa Auguſti tempora ſculptum: diſceremus inde, huius imperatoris titulis illum CONSERVATORIS MILITVM quoque annumerandum; quod tamen eorum, qui in rebus vetuſtis ſunt verſati, nemo inducet animum, poſtquam GISB. CVPERVS (e) fraudis arguit auctorem atque certis omnique luce clarioribus ſignis docuit, inter ſuppoſititia hoc epigramma iure meritoque referri. Neque vero Romani ſoli ob ſalutis conſervationem iſtud praeconium tribuerunt Auguſto: ſed Graeca quoque lingua loquentes populi, & in his cum primis Attici, eadem ampliſſima dignitate eum decorarunt. Planum hoc facimus teſtimonio veteris lapidis, qui Athenis, ante everſam a Turcis urbem, in veſtibulo templi, Minervae olim dicati, fuit, cuiusque inſcriptionem, a GEORG. FABRICIO (f) publici iuris, at mendoſe, factam, ex opere Gruteriano (g) emendatiorem apponimus:

O

(d) In *Miſcellan. erud. antiq.* Sect. V. pag. 168.

(e) Vid. *monumenta antiqua indita,* ſubiuncta eiusdem *Harpoc.* p. 248.

(f) In *veteris Romae cum nova collatione* cap. 2.

(g) Pag. CV. num. 9.

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑ ΡΩΜΗ ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΑΙΣΑΡΙ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ
ΤΟΥ ΞΗΝΩΝΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ
ΙΕΡΕΩΣ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΩΣ
ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ
ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΕΙΠΙΑΔΟΥ
ΑΛΑΙΕΩΣ ΘΥΓΑΣΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ ΜΩΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ

Erunt fortaſſis, qui dubium exiſtimabunt controverſumque, an ſermo ſit Athenienſibus de Auguſto, qui principatum imperii Romani inſtituit; propterea, quod Σεβαςοῦ titulus huius principis ſucceſſoribus communis ſit factus. Dicent, non poſſe, ſed deberi utique exponi marmor de Hadriano, quod huius munificentia civitas Athenienſium inſigniter creverit: quum contra Auguſtus, teſtimonium ferente DIONE, Caſſio (h), Athenienſibus, quod Antonio faviſſent, non ſolum Aeginam & Eretriam ademerit, verum etiam interdixerit, cives accepta pecunia facere. Verum, ita cenſentibus facili opera omnis eximitur ſcrupulus. Σεβαςοῦ appellationem ad omnes imperatores pertinere, concedimus libenter; ita tamen, ut, quum ſine adiectione ulla invenitur, de Caeſare Octaviano dici, ſentiamus cum eruditis tantum non omnibus. Largimur quoque, primis temporibus, de Athenienſibus haud eſſe promeritum Auguſtum, qui eorum Servator diceretur. Aſt, quum ira deferbuiſſet, Atticos adeo non deſpexit, ut etiam, quemadmodum SVETONIVS (i) ſcriptum reliquit, ſacris Eleuſiniis ſeſe initiari pateretur. Eos ne videamur diſſociaſſe, quos propinqua coniunxit cognatio: dabimus Auguſto comitem ANTONIAM, minorem, eius

 cum

(h) Lib. LIV. pag. 601.

(i) In *Auguſto* cap. 93. Conf. DIONEM lib. LI. p. 509.

cum neptem ex ſorore, Octavia, tum ſacerdotem, quandoquidem, ei ut inter Conſervatrices locum aſſignemus, numus (vid. num. 45.) poſtulat in eius honorem flatus, notatusque epigraphe: B. A. ΣΩΤΗΡΑ (malim legere ΣΩΤΕΙΡΑ). IO. TRISTANVS (k), cui typum referimus acceptum, omnes huius numi partes atque obſcuritates interpretando adeo erudite non minus quam feliciter explanavit, ut ipſius verbis commode poſſimus declarare, unde & quam ob cauſſam iſtud cognomen Antoniae fuerit inditum. „ J' eſtime, inquit, qu' il faut attribuer cette medaille au temps que Claude tenoit l'Empire, & qu' il eſpouſa „ Agrippine fille de Germanicus, & petite fille d' Antonia, & „ qu' elle fut frappée en Grece en l'honneur de ces deux Princeſſes, pour obliger Claude & Neron leurs fils, & Agrippine „ meſme qui vivoit lors en poſſeſſion d'une fortune tres-floriſſante. Or cette figure d'Antonia deifiée, ayant une vaſe de ſacrifice derriere elle, ſemble marquer que de Preſtreſſe d'Auguſte, „ qu'elle eſtoit lors qu'elle vivoit ſur terre, elle étoit devenuë une „ Veſta Servatrice de l'Empire Romain, comme cette Deeſſe „ l'avoit eſté des Troyens. Car Auguſte luy avoit conſacré un „ Temple en ſon propre Palais, qui la faiſoit appeller *Caeſaream* „ *Veſtam*, comme elle eſt nommée par Ovide en ſes Faſtes (l). Ou „ bien on veut attribuer à cette nouvelle Veſta la conſervation „ de Claude ſon fils, & d'Agrippine ſon arriere-fille, & que „ par ſon moyen le bonheur d'eſtre parvenu à l'Empire, leur „ eſtoit venu du Ciel (*). §. XXVIII.

(k) *Commentar.* Tom. I. p. 148.

(l) Memoria lapſus Triſtanus *Faſtos* nominavit pro *Metamorphoſ.* lib. XV. ubi v. 865. Antonia vocatur *Caeſarea Veſta.*

(*) Typis haec exſcripta iam erant, quum ex Anglia mihi afferrentur *Monumenta vetuſtatis Kempiana, ex vetuſtis ſcriptoribus illuſtrata eosque viciſſim illuſtrantia*, cuius operis, Londini 1720. 8. impreſſi, partem alteram, quae numos cimelii IO. KEMPII continet, dum avide pervolvo pag. 84. inter numiſmata Aegyptiaca obſervo quoddam, his deſcriptum verbis: B. Δ. ΣΩΤΗΡΑ. *Caput Ptolemaei Soteris, pone quod urceus.* ΚΑΛΛΗ ΤΥΧΗ ΑΙΓΥΠΤΟΥ *Fortuna ſtans, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiae & ramum tenens.* Hasce ſi ſpectas figuras, accurate convenire videbis cum iis, quas numus prae ſe fert, a Triſtano quem ſumus mutuati.

§. XXVIII.

Finiam recenſionem principum Servatorum, ubi numero eorum accenſendum eſſe monuero familiae Juliae ultimum atque nequiſſimum, NERONEM. Patre quidem fratreque venenata potione interfectis, matre occiſa, praeceptore ad mortem adacto, atque urbe flammis exuſta, hominum genus univerſum cladibus affecerat, & multis iisdemque immenſis facinoribus odium in ſe concitaverat maximum. Cunctis igitur inviſo, quis crederet, Servatoris conſtituta unquam eſſe inſignia? At enim vero, quo ornamento a plerisque omnibus cenſebatur indigniſſimus, illud aſſentatores religioſi, principis aucupaturi gratiam, ad eum detulerunt, omnibusque minitantem interitum ΣΩΤΗΡΑ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ ſalutarunt. Comparet magnificus ille titulus in huius principis numiſmate, quod, ab EZ. SPANHEMIO (m) in lucem aſſertum, num. 46. delineavimus. Omnia huius numi, quem moduli eſſe maximi novimus, momenta, quae quidem ad noſtrum pertinent ſcopum, erunt explanata, ubi ad tres quaeſtiones ſequentes: ubinam nempe gentium, quo tempore ſit cuſus; quamque habuerint rationem eius auctores, cur ſummum inter tyrannos tenentem locum *huius univerſi* appellarent *Servatorem*? dilucide reſponderimus. Ad primam quod attinet, eam perſpicue expedit littera L. quippe quae, ut verbis utar LUD. JOBERTI (n), „ ſignifie ſelon la tradition des Antiquaires *Λυκάβαντος*, mot poëtique & inuſité dans le langage ordinaire, „ qui veut dire *Anno*, & qui probablement étoit plus commun en „ Egypte que dans la Grece, puiſque c'eſt ſur les Médailles de ce

Ad epigraphen autem quod attinet, multum a Triſtano differt R. AINSWORTH, qui cimeliarchium Kempianum recenſuit doctisque illuſtravit animadverſionibus. Vter vero vera viderit retuleritque, quis praeciſe dixerit, cui numus ipſe non eſt ad manus? Quare, licet habeamus, cur Triſtano malimus aſſentiri: rem tamen in medio relinquere conſultius arbitrati, ad eos hanc litem deferimus dirimendam, quibus ipſius numiſmatis inſpiciendi fortuna conceſſit facultatem.

(m) In *notis ad verſionem Gallicam Caeſarum Juliani* p. 250.

(n) Dans *la Science des médailles antiques & modernes* p. 95. ed. noviſſ.

„ Païs qu'il ſe trouve tôuiours. „ Manifeſto igitur hoc indicio uti docemur, Aegyptiorum opera numiſma eſſe conflatum: ita eodem non parum ſimul imminuitur admiratio, quam ornamenti iſtius ſplendor, humani generis propudio vindicatus, facere alicui poſſet. Qui enim cum IVVENALE (o) cogitant:

- - - - - *qualia demens*
Aegyptus portenta - - -

coluerit: facile, ut credant, abs ſe impetrabunt, haud aliam fortaſſis, niſi, hanc inſana religione non minus, quam adulatorio dedecore famoſam gentem ad iſtud potuiſſe impelli dementiæ. Flandam autem Aegypti habitatores hanc monetam curarunt, ut eius indicat epigraphe, anno ENAT. i. e. *nono*, non vitae, quod non nemini (p) placuiſſe ſcimus, ſed imperii. Nero certe undecimo demum aetatis anno a Claudio adoptatus (q), quum nonum ageret, ſpem olim imperandi ullam nondum adeptus, nullam quoque Aegyptiis in aures ſuas blanditiis influendi exhibere potuit occaſionem. Ad tertiam progredior quaeſtionem. Primum mihi diſſolvere eam videbantur bina numiſmata (vid. num. 47. & 48), ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ dicata. Opinabar nimirum, Aegyptios, ut Neroni, Apollinis ſibi arroganti honores quicquam ne deeſſet, quo iſte Muſarum chori director gauderet, Σωτῆρος τῆς οἰκȣμένης ei decreviſſe ornatum. Nam ex vana ſuperſtitioſorum perſuaſione huius univerſi cuſtodia atque conſervatio Apollini erat concredita; quemadmodum ex his ORPHEI (r) intelligimus:

Οὕνεκα ΠΑΝΤΟΣ ΕΧΕΙΣ ΚΟΣΜΟΥ ΣΦΡΑΓΙΔΑ τυπωτὴν,
Κλῦθι μάκαρ.

Quae ad verbum ferme a IOS. SCALIGERO ita verſa:

Quod magni OMNIS HABES SIGNACVLA *daedala* MVNDI,
Huc adeas here;

nihil

(o) *Satyr.* XV. ſub initium.

(p) NIC. deſigno TOINARDVM, qui in diſſert. de *Commodi aetate, in numis inſcripta*, edita Pariſ. 1690. 4. recuſa vero in *Bibliotheca literaria* pag. 24. in eam quidem diſceſſit ſententiam, ſed nullos, quod noverim, invenit aſſenſores. Conſ. LVD. IOBERTVS loc. cit. p. 93.

(q) Vid. SVETONIVS cap. VII.

(r) Pag. 132. edit. Eſchenbach.

nihil aliud ſignificant, quam modo quod indicavimus, muſices nempe praeſidem pro terrarum orbis ſalute agere excubias &, detrimenti ne quid patiatur, cavere (s). Verum enim vero, poſtquam ad veritatis criteria revocare coepi haec priora cogitata mea: improbanda ea reperi atque reiicienda; eam quum maxime ob cauſſam, quod, extremo vitae demum tempore ad Apollinis honores Neronem adſpiraſſe, inter omnes conſtet. Praeterea annus etiam, in numo noſtro ſignatus, & laurea corona, quae eius continet epigraphen, multo probabiliorem, immo veriſſimam huius tituli, quo Neronem condecorat, ſuppeditant rationem. Haec, ut firmiter credamus, non ſuadent, ſed cogunt, Σωτῆρος τῆς οἰκουμένης titulo gratulari voluiſſe Aegyptios Neroni, de pace terra marique parta, & clauſo propterea Jano, inſolentius glorianti. Cepit eum haec dementia ſecundum computum Vſſerianum A. C. LXIII. qui Neroniani principatus nonus fuit isque ipſe, quo numum noſtrum novimus fabrefactum. Hoc enim anno, quum Tiridati Armeniae reſtituiſſet regnum, Nero *imperator conſalutatus*, verba recito SVETONII (t), LAVREA *in Capitolium lata* IANVM GEMINVM CLAVSIT, *tanquam nullo reſiduo bello.* Quam lauream a victore, uti videri volebat, imperatore in Jovis depoſitam gremium refert hiſtoricus: eam repraeſentare in numo noſtro voluiſſe Aegyptios, ſi firmiter perſuaſum habeo, non crediderim, me quicquam ſtatuere, quod a veri abhorret ſimilitudine.

§. XXIX.

Quadraginta hactenus deos hominesque Servatores ex numis lapidibusque antiquis enumeravimus; quem tamen numerum perinſigni auctario ludus fuiſſet augere, ad noſtras manus citius ſi perveniſſent una cum inſcriptionibus Gudianis Donianisque opera, omni noſtra laude maiora, quibus FRANC. MEDIOBARBVS, ASELM. BANDVRI, IO. HORSLEY aliique vetuſti orbis ſupellectilem illuſtrarunt. Vti vero, vitam viresque largiente deo, ſecundis curis eum defectum explere allaborabimus: ita vel haec in medium allata Servatorum exempla abunde docent frequen-

(s) Vid. SVIDAS voce Σφραγίς. (t) Cap. XIII.

quentem huius tituli abuſum non potuiſſe non addere ſtimulos S. Paullo, qui pro ſummi numinis privilegiis propugnaret. Eo autem alacrius iſtud ineundum iudicavit certamen, quum ſuis videret oculis, haec inſignia, ſoli rerum omnium domino atque moderatori debita, adeo profanari, ut non ſolum tribuerentur numinibus fictitiis, aut mortalibus, bene de rep. promeritis, ſed illi etiam, qui vitioſa flagitioſaque vita cunctos longe ſuperabat. Ego ſi quid coniicio recte, procul dubio Neronis numiſma, cuius explicationem ſuperiori §. exhibuimus, pientiſſimo Apoſtolo anſam praebuit monendi ſuos, ut, veri Servatoris memores, amplius ad eos ne deferrent tantos honores, qui plane iis eſſent indigni. Cuius coniecturae firmamentum illud habeo, quod epiſtolarum earum nulla, in quibus Σωτῆρος cognomine occurrit, numiſmate iſto ſit antiquior. Ex ſententia enim IAC. VSSERII (u), viri docti & in rebus chronologicis verſatiſſimi, litterae Paullinae ad Epheſios, Philippenſes, Timotheum atque Titum intra illud tempus, quod inde ab anno decimo imperii Neroniani usque ad duodecimum effluxit, adeoque poſtquam ille numus iam percuſſus erat, ſunt exaratae. Vt vero inde a multis retro ſaeculis mortalium mentes occupanti atque in dies maiora incrementa capienti errori obicem poneret vir divinus, poſtulabat civitatum harum ſuperſtitio, quippe quae Servatorum cultui erant addictiſſimae. Epheſios quod ſpectat, quis eſt litterarum divinarum humanarumque adeo ignarus, qui neſciat, eos ſummopere eſſe veneratos Dianam, quam non infimum in Servatorum coetu locum tenuiſſe, & pluribus ſupra demonſtravimus, & amplius eorum firmatur opinione, qui ipſius apud Graecos uſitatum nomen, Ἄρτεμις, a ſervando derivant (x), factum illud eſſe contendentes ab ἀρτεμὴς, voce, quemadmodum ex HOMERO (y), EVSTATHIO (z) atque HESYCHIO (a) diſcimus, rem ſanam denotante atque ſalvam (a). Praeter Dianam autem aliis

(u) Vide IO. GEORG. PRITII *introductionem in lectionem Nov. Teſtam.* cap. XVIII. §. 3. p. 150.

(x) Subſcribit huic etymologiae mox laudandus Theſſalonicenſium Archiepiſcopus ad *Iliad.* ά. p. 24. ſima.

(y) *Iliad.* έ. 515. & ή 308.

(z) Ad *Iliad* ύ. pag. 503.

(a) Voce Ἀρτεμῆ.

aliis quoque diis Servatoribus Epheſi templa araſque fuiſſe conſecratas, numiſmata probant, quae IO. VAILLANTIVS (b) & IO. HARDVINVS (c) laudant, Ὁμονοίας vocabulo notata. In his, quod hoc loco memoretur, prae ceteris dignum illud cenſemus, quod vivente Paullo Epheſiorum Smyrnaeorumque auctoritate eſt cuſum, atque in cuius parte altera, circa Dianae & Serapidis effigies legitur: ΕΦΕΣ. ΣΜΥΡ. ΟΜΟ. *Epheſiorum & Smyrnaeorum concordia.* Ὁμονοία, ſaepius in veteri ære argentoque occurrens, quum unanimi antiquariorum conſenſu non ſolum factam inter civitates ſignificet ſocietatem civilem, ſed etiam ſacrorum communionem: nullum eſt dubium, quin Epheſii una cum Smyrnaeis cultu religioſo ſint proſecuti Serapidem, quem, uti XV. §. huius diſſertationis docuimus, Servatorum gregi immiſcuerunt homines vetuſti. Pergimus ad Philippenſes, qui non ſecus atque Epheſii exhortandi erant, ut amplius ne deferrent ad numina vana hominesque morti ſubiectos, immo ſceleratos, quod praeter deum, coelum atque terras tuentem regentemque, debetur nemini. Erant enim & Philippenſes ſtrenui Servatorum cultores. In Macedonia habitantes non poterant non venerari una cum popularibus ſuis Jovem, Herculem atque Minervam; quibus numinibus prae ceteris Macedones pro ſua ſupplicaſſe incolumitate, amplius non negabit, cui volupe erit legere, quae IAC. DE WILDE (d) atque IO. ANDR. SCHMIDIVS (e), huius Muſarum ſedis ornamentum quondam maximum, hoc de argumento erudite ſunt commentati. At horum idolorum nullum eſt, quin in Servatorum agmine ſupra nobis factum ſit obviam. De Jove certe Servatore, a Macedonibus in honore habito, diſertis verbis refert ARRIANVS (f): Ἀλέξανδρος κατασκάψας τὴν πόλιν, θύει ἐπὶ τῇ ὄχθῃ τοῦ Ἴστρου ΔΙΙ ΣΩΤΗΡΙ, καὶ Ἡρακλεῖ, καὶ αὐτῷ τῷ Ἴστρῳ. *Alexander, urbe everſa, in Iſtri ripa ſacra facit* IOVI SERVATO-

L

(b) In *Numiſm. Impp. a populis, Romanae ditionis Graece loquentibus, percuſſa* p. 225.

(c) *Operum ſelectorum.* p. 57.

(d) Ad *ſelecta Muſei ſui numiſmata antiqua* p. 7. ſqq.

(e) In *antiquitatibus Macedonic.* Part. I. §. 19. & Part. II. §. 1.

(f) De *expedit. Alexandri* lib. I. p. 11.

VATORI, *Herculi*, *ipſique Iſtro.* Praeter hanc, ni fallor, aliam inſupere habuit rationem vir divinus, cur a vana illa religione retrahere Philippenſes anniteretur. Latere eum nequibat ſumma munificentia, qua erga urbem eorum patriam uſi erant Neronis maiores, quippe qui rem eius civitatis privilegiaque magno auxerant incremento. Superſunt hodieque in monumentis antiquis varia huius beneficentiae veſtigia. Deduxiſſe Auguſtum Philippos coloniam eique ex patre Julio tractum nomen Juliae impoſuiſſe, perſpicimus ex ſtatuæ baſi, inter urbis Troiae rudera reperta, cuius hanc IAC. SPONIVS (g) edidit inſcriptionem:

DIVI IVLI FLAMINI
C. ANTONIO M. F.
VOLT. RVFO FLAMIN.
DIVI AVG. COL. CL. APRENS.
ET COL. IVL. PHILIPPENSIS
EORVNDEM ET PRINCIP. ITEM
COL. IVL. PARIANAE TRIB.
MILIT. COH. XXXII VOLVN
TARIOR. TRIB. MIL. LEG. XIII
GEM. PRAEF. EQVIT. ALAE. I.
SCVBVLORVM
VIC. VII

Necnon ex Claudii numo apud CAROL. PATINVM (h), in ſuggeſtu ſtantes duos viros militari habitu, haud alios, quam Julium Caeſarem & Auguſtum, cum epigraphe: DIVVS AVG. ſiſtente atque his notato verbis: COL. AVG. IVL. PHILIP. Acceptum quoque familiae Juliae retulit haec civitas ius Italicum, quod ei fuiſſe conceſſum affirmat Paullus JCtus (i): *In Provincia Ma-*

(g) In *Erudit. antiquit. miſcel.* Sect. V. p. 173.

(h) In *Numiſm. Impp. aereis mediae & minimae formae* p. 99.

(i) *Digeſt.* Lib. L. Tit. de Cenſib. Sect. 8.

Macedonia Dyrracheni, Caſſandrenſes, PHILIPPENSES, *Dienſes, Stovenſes iuris Italici ſunt.* Immo primatus dignitate exornata eſt ab iisdem Imperatoribus; qua de re intelligenda ſunt haec S. Lucae (k) verba: Ἐκεῖθέν τε εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐςὶ ΠΡΩΤΗ τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολώνια. *Atque inde venimus Philippos, quae eſt* PRIMA *partis Macedoniae urbs, colonia.* Aliter quidem ſentit Ven. GEORG. RAPHELIVS (l), opinatus, non dignitatis, ſed ſitus potius ratione dici primam. Haud tamen aegre feret vir tam eruditione, quam humanitate ſumma celeberrimus, ſi opinionis diſſenſione ab eo diſcrepamus, ſiquidem nobis tanti ponderis viſa ſunt argumenta, a CHRISTOPH. CELLARIO (m) in contrarium allata, ut aſſenſum cohibere noſtrum haud potuerimus. Tantorum autem beneficiorum recordati Philippenſes, quam facile erat, ut eo ſe adduci paterentur, qui Aegyptiorum ad exemplum, in gratae mentis documentum, Neronem appellarent generis humani Servatorem? Quod vero, ut in ſummum numen fuiſſet iniurium: ita, ne quid damni facere ſuorum ſalus futura, ſumma ſollicitudine ſemper cavens Apoſtolus ſimulac numiſma illud publici factum erat iuris, imperii nempe Neroniani anno decimo, ut eam impietatem effugerent, Philippenſes eſt adhortatus. Reſtat nunc, ut paucis quoque evincamus, ſimiliter Cretenſes, apud quos ſacra Chriſtiana moderabatur Titus, non paucos ex illorum deorum numero coluiſſe, quibus ſuperſtitioſa antiquitas ſalutem ferre ſolebat acceptam. Deorum κορυφαίου, Jovis, quem apud ſe natum fabulabantur educatumque, venerationem viguiſſe inter iſtos inſulanos, fugit, crediderim, neminem, praeter eum, qui de veterum mythis ſollicitus fuit nunquam. Id vero neſcio, an obſervatum ſit ulli, Dianam Cretidum habitam olim fuiſſe numen tutelare; quod tamen teſtimonio firmat ſuo OVIDIVS (n):

L 2 *Palla-*

(k) *Actor.* XVI, 12.

(l) Vid. eius *Annotationes philologicas in Nov. Teſt. ex Polybio & Arriano* p. 352.

(m) *Diſſertat. Academic.* p. 711. ſq.

(n) *Faſtor.* lib. III. v. 81.

Pallada Cecropidae, Minoïa CRETA DIANAM,
Vulcanum tellus Hypſipylaea colit.

Et poeta, neſcio quis, HERC. CIOFANO (o) laudatus:

Pallas Cecropias tuetur arces:
Delphos Pythius orbis umbilicum:
CRETEN DELIA *Cynthiosque colles.*

Addo SOLINVM (p): CRETES DIANAM *religioſiſſime venerantur, Britomarten gentiliter nominantes, quod ſermone noſtro ſonat virginem dulcem.* Quemadmodum vero illud, memoratum Solino, nomen eſt conſecuta, quod Britomarten, nympham de monte in pelagum delapſam, ex praeſentiſſimo vitae eripuerit periculo, uti tradunt, quos magno numero excitat teſtes IOH. MEVRSIVS (q): ita etiam a veritate recedere mihi videtur proxime, Theſeum, ex Creta in Graeciam reducem, Cretenſium huic Dianae, Σωτείρας cognomine, in Troezeniorum foro templum aramque dedicaſſe, ut pro allato in navigatione auxilio gratias ipſi haberet. PAVSANIAS eſt, quem & huius rei memoriam ad nos transmiſiſſe alibi (r) docuimus, & noſtrae opinionis habemus aſſenſorem, quum ſcribit: Ἐποίησεν εἰκότα τὸν λόγον, ὡς προνοίᾳ θείᾳ καὶ αὐτὸς ἀνασωθείη Θησεὺς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ. *Certum dedit documentum cum ſe, tum ſocios, vi divinae providentiæ ſervatos eſſe.* Nam per πρόνοιαν θείαν eum intelligere DianamCretenſem, ipſe verborum nexus dubitare permittit nemini. Vna cum ſorore venerati quoque ſunt iidem inſulani eius fratrem, Apollinem, non poſtremum inter Servatores numen; quod probat imago eius effiсta in variis Cretenſium civitatum numis v. g. Ὀαξίων, Ἐλευθερναίων & Πραισίων, quorum ectypis eruditum orbem beavit CHRIST. SIGM. LIEBE (s). Poſſent his adiungi numina alia complura, quorum cultui religioſo olim vacarunt Cretenſes: niſi, triga illa nos noſtro ſatis feciſſe officio, arbitraremur.

§. XXX.

(o) In notis ad citat. Ovidii locum.
(p) *Polyhiſt.* cap. XI.
(q) In *Creta* lib. IV. cap. 3. p. 202.
(r) Vide §. X. p. 28.
(s) In *Goth. num.* p. 171. 163. & 194.

§. XXX.

Habetis ita, VIRI IVVENES NOBILISSIMI, qui optima ſtudia colitis gnaviter, bene longam atque conſuetos programmatis fines tranſcendentem diſputationem, qua, vocatis in ſubſidium numis lapidibusque vetuſtis, cauſſas depromere ſtuduimus, quibus fideliſſimus ille gentium ſuperſtitioſarum doctor, Paullus, impulſus ſummo numini, vereque toti ſalutifero orbi Ieſu Chriſto, in iis cum maxime epiſtolis, quas ad Epheſios, Philippenſes cariſſimosque diſcipulos ſuos, Timotheum & Titum, dedit, Servatoris titulum honoresque, longinquo abuſu profanatos, quam creberrime vindicavit. Ita verſati ſumus, uti animadvertiſtis, in huius argumenti pertractatione, ut monumentis, in medium productis, lucis tantum adfertus, quantum per tenebras licebat, quibus erant circumfuſa; quod noſtrum conſilium non VOBIS, qui manſuetiores Muſas in oculis fertis, diſplicebit; ſed iis modo, qui, uti ab omni humanitate, ita etiam a ſtudiis illis ſunt alieni, quae ad humanitatem mortalium mentes informant. Nunc paucis quoque accipite, COMMILITONES OPTIMI, quae recitationum noſtrarum futura ſit conditio. Munere, quod divinis auſpiciis atque SERENISSIMORVM huius Academiae NVTRITORVM iuſſu clementiſſimo haud ita pridem ſum aggreſſus, cum in praeſenti, tum in poſterum ſemper ita fungar, ut parti officii mei omnino nulli unquam defuiſſe videar, eum in finem Graecas litteras cum orientalibus Muſis, propinqua affinitate illas attingentibus, ſemper coniuncturus. Inſtante igitur ſemeſtri hoc aeſtivo publicis praelectionibus *utramque S. Paulli ad Timotheum epiſtolam* philologicis obſervationibus, ex ſcriptoribus Graecis Hebraicisque petitis, illuſtrare inſtituam.

In privatis autem ſcholis *gentis Graecae ritus caerimoniasque ſacros* ad ductum *Cel. Lakemacheri*, viri ſummi, at morte eheu! nimis praematura elegantioribus ſtudiis erepti, ſtrictim enarrabo, ut tempus ne deſit, qui inſignem atque incredibilem plane harum deliciarum in S. codicis interpretatione uſum maiori liceat confirmare exemplorum copia.

Privatorum collegiorum alterum *linguae ſanctae* exponet *fundamenta*, in quibus delineandis eo breviores erimus, quo maius

exercitium ab iis requiritur, qui ad huius ſermonis indolem, penitius cognoſcendam, adſpirant, quam non Grammaticorum regulae, ut plurimum inanes, quin potius uſus multus, docent.

In explicandis *Hadr. Relandi antiquitatibus veterum Hebraeorum ſacris* has curate obſervabo legas, primum, ut iuſta earum veſtris animis ſiſtetur imago, prolaturus eum in finem tam figuras earum aeri inciſas, quam Judaicae Synagogae, qui ad manus eſt, apparatum locupletiſſimum; deinde, ut Moſis inſtituta ſollicite ſecernam ab iis, quae recentiorum huius populi doctorum placitis nituntur; denique, ut, quantum ex harum antiquitatum notitia commodi in S. S. interpretem redundet, cognoſcatis, intelligatis abunde; poſtremo, ut ſcriptores recenſeam, qui de ſingulis momentis ex inſtituto ſunt commentati; quod non ingratum iis erit, qui uberiorem ſibi olim exoptabunt harum rerum notitiam.

Agite igitur, o! MEI, qui in philologico ſtadio curritis incitati, frequentes ad recitationes noſtras accedite atque aſſidua veſtra diligentia meum veſtris inſerviendi commodis deſiderium magis magisque accendite. Publicos labores, Deo volente, die huius menſis XVI. hora III--IV, in auditorio domeſtico, ordiar. Valete atque conſtanti favore amoreque manſuetiores litteras complectamini. P. P. in Academia Iulia ad d. XI. Maii
cIↃ IↃ XXXVII.


1
M.COMMODVS ANTONINVS AVG
IVPITER CONSERVATOR
2
IMP SEV ALEXANDER AVG
IOVI CONSERVATORI
3
IOVI SOSPITATORI
S. C.
4
SOSPITATORI
IOVI
5
A E
Θ
6
NEPTVNO CONS. AVG
A
7
NEP RED
8
ΣΩΤΗΡ ΑΠΟΛΛΩΝ
Δ
9
APOLLINI CONS AVG
10
APOLLINI SALVTARI.
11
MARTI·CONSERVATORI
TT
12
VFICI
13
IVNONI SOSPITAE
S C
14
IVLIA MAMIAS AVG
IVNO CONSERVATRIX


15
ΑΘΗΝΑ ΙΩΝ
16
MINER. S. AVG.
17
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
18
IOVI DEFENSORI SALVTIS AVG.
19
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΣΩΤΕΙΡΑ
20
DIANAE CON.
21
ΒΥΖΑΝΤΙΝΗ.ΣΩΤ
22
ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ
23
ΣΩΤΗΡΟΣ
ΔΙΟΝΥΣΟΥ
ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ
24
LIBERO P. CONS. AVG.
25
ΣΩΤΗΡΟΣ
ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ
ΘΑΣΙΩΝ
26
HERCVLO. CONS. AVG.
27
28
ROMA
A ALBINVS
29
ΕΠ. C. ΑΥΡΕΥΤΥΚΟΥΣ T.B.
ΦΩΚΑΙΕ


30
SE RAPIDI CON SERV·AVG
31
ΚΩΙΩΝ
32
CYZETEME
33
C..... AKE NIKAIEIC
34
OB CONSERVATIONEM SALVTIS
35
ΚΟΡΗ·CΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ
ΕΠΙ·CΤΡΑ·ΚΑΙΤΟΥ·CΕΒΗΡΟΥ
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ
ΝΕΟΚΟΡ
36
ΣΩ
ΙΕΡΩΝΟΣ
37
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ
38
Μ·ΑΝΤΩΝΙ·ΑΥΤ·ΚΡΑΤΩΡ·ΙΩΝΙΣ ΤΗΣ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ
ΚΛΕ·ΠΑΤΡΑΣ·ΣΣΑΝ·ΣΩΤΗΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ


39
HR
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤ ΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ
40
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΣΩΤΗΡ
41
SALVS GENERIS HVMANI
42
SALVS GENERIS HVMANI
43
SALVS
GENERIS
HVMANI
44
SALVS GENERIS HVMANI
46
ΤΩ
ϹΩΤΗΡΙ
ΤΗϹΟΙΚΟΥ
ΜЄΝΗϹ
L ЄΝΑΤ
45
B
ΣΩΤΗΡΑ
ΚΑΛΛΗΤΥΧΗ
ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ
47
ΝΕΡΩΝ
ΑΠΟΛΛΩΝ
48
ΝΕΡΩΝΙ
ΑΠΟΛΛΩΝΙ